INSTITUTIONES LOGICÆ,

Præcipue comprehendentes

ARTEM ARGUMENTANDI.

Conſcriptæ in uſum

STUDIOSÆ JUVENTUTIS.

A

P. VAN MUSSCHENBROEK.

NEAPOLI MDCCLVIII.

EXPENSIS IGNATII GESSARI.

SUPERIORUM PERMISSU.

INSTITUTIONES LOGICÆ

PROLEGOMENA

§. 1.

Homo constat Mente & Corpore unitis, quæ sunt res duæ inter se prorsus distinctæ.

§. 2. Corporis humani examen & cognitio est objectum Medicorum: Mentis vero & unionis ejus cum corpore examen pertinet ad Philosophos.

§. 3. Mens est illud in homine Ens, quod intelligit, vult, ratiocinatur, & operatur in corpus, quocum conjunctum est.

§. 4. Facultas vocatur potestas aliquid efficiendi.

§. 5. Menti autem insunt variæ facultates, quæ commode ad tres generales referri possunt; hæ sunt Intellectus, Voluntas, Potestas.

§. 6. Intellectus est ea Mentis facultas, qua

aliquid intelligit, sive percipit.

§. 7. Quicquid intelligitur, appellatur *Idea*, *Cogitatio*, *Perceptio*.

§. 8. Quia Mens potest sibi repræsentare ideas, sistere, alias revocare, adeoque in eas operari: tum quia Menti, ope vel occasione organorum sensoriorum affectorum, repræsentantur ideæ, imo & aliquando Menti licet repugnanti sistuntur præsentes, distinctus fuit Intellectus in Activum & Passivum.

§. 9. Intellectus Activus proinde erit, quando Mens sibi proponit ideas, quas vult, atque in eas pro sua voluntate operatur.

§. 10. Intellectus Passivus erit, quando Menti non sistuntur præsentes ideæ determinatæ, sed vagæ; quales contingunt vigilantibus, & non ad certas determinatasque res attendentibus; tum quales sunt in insomniis; occasione affectorum sensoriorum; aut doloris, injuriarum &c.

§. 11. Quatenus Menti est Intellectus activus, non tantum sibi potest determinatam ideam repræsentare, sed habet facultatem duas ideas simul præsentes sistendi, eas inter se comparandi; aliquas separandi; componendi; abstractas formandi; ex singularibus universales effingendi: Præterea instructa est Mens facultate Judicandi, Ratiocinandi, & Memoriæ.

§. 12. Voluntas est ea facultas Mentis, qua ex variis sibi propositis ideis eligit, quæ sibi videtur optima: Differt hæc a judicio; quo

Mens

Mens tantum ideas inter ſe conjungit, vel ſecernit: differt a ratiocinio, quo Mens judicia conjungit, aut ſeparat.

§. 13. Quoniam Mens uſa voluntate intelligit, quaſnam ex rerum ideis ſibi præſentibus eligit, voluntas abſque intellectu in uſum non vocatur; quamvis ipſa voluntas non ſit intellectus: ideo inanis eſt quæſtio, utrum voluntas ſit facultas cæca, an intelligens.

§. 14. Poteſtas eſt ea Mentis falcultas, qua operatur in corpus, quocum conjuncta eſt.

§. 15. Utitur Mens hac poteſtate, poſtquam voluntate elegerat aliquid efficere.

§. 16. Voluntate autem ſua Mens nihil præſtat in corpus, quamvis Mens volens operetur; ex voluntate enim ſola non ſequitur aliquis in corpore noſtro effectus, nec motus, ſed tantum ex Poteſtate.

§. 17. Sunt omnes Mentis facultates admodum anguſtis limitibus circumſcriptæ: ſive Mentis intelligentiam ſpectemus reſpectu rerum minimarum, ſive maximarum, ſive Infiniti, ſive ſubſtantiarum, cauſarum, finium, &c. ſive ſpectemus Poteſtatem: non enim poteſt Mens motus quoſcunque in ſuo corpore excitare, nec ſe a corpore ſeparare & iterum unire. Quoad voluntatem Mens eligit, quod ſibi videtur optimum, licet id ſæpe non ſit optimum, ſed peſſimum.

§. 18. Objectum Intellectus eſt rerum cognitio, & inquiſitio veri: Objectum voluntatis eſt in-

inquisitio & electio boni, ac rejectio mali: objectum potestatis est motus in corpore nostro excitandus.

§. 19. Quoniam Mens usa Intellectu suo nonnunquam aberrat a veritate, non observatis limitibus, quibus organa sensoria adstringuntur; vel cum judicat, aut ratiocinatur de rebus perplexis, admodum compositis, non bene intellectis, arte opus erat, cujus auxilio Intellectus, Judicium, & Ratiocinium dirigeretur; ut Mens inveniret verum, inventum cognosceret, cognitum demonstraret; atque evitaret errorem, aut commissum detegeret, corrigeret.

§. 20. Sed arte opus erat, quia homines partim ignorantia, partim malitia alios minus perspicaces in errorem conjicere suis ratiociniis nituntur; uti patet in Sophismatibus consilio ad fallendum institutis, quæ non extricari bene possunt, nisi arte in auxilium vocata.

§. 21. Ars hæc appellata fuit Logica, Dialectica, Ars Disceptatrix, Disputatrix, Canonica, Ars bene ratiocinandi, Argumentandi &c. Inventa a Zenone Eleate; exculta & promota usque in nostra tempora. In hac arte traduntur regulæ universales rite utendi ideis, recte judicandi, & ratiocinandi, tam ad veritatem latentem investigandam, quam ad investigatam probandam, eamque bene ordinandam.

§. 22. Sunt quidem omnes homines ita a natura constituti, ut utantur suo intellectu, judicent

cent & ratiocinentur de rebus quibuscunque obviis, aliisque mentem suam explicent, adeoque Logica naturali instructi; sed hi multis in occasionibus non sunt adeo clare convicti de veritate aut errore, nec alios tam bene de hisce convincere possunt, quam qui regulas in arte, sive Logica artificiali traditas didicerunt, & probe intellexerunt.

§. 23. Adeoque Logica convenit omnibus Scientiis, non minus Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ, Philosophiæ, quam Litteraturæ.

§. 24. Cuilibet autem scientiæ conveniunt præterea regulæ singulares; unde totidem singulares sunt formandæ Logicæ, quot sunt diversæ Scientiæ, tradentes regulas eruendi incognitum, idque demonstrandi.

§. 25. Quoniam quicquid a Mente intelligitur, tantum ope Idearum intelligitur; sive spectemus Intelligentiam, Judicia, aut Ratiocinia nostra, necesse est ut quædam de Ideis præmittamus.

CAPUT PRIMUM.

De Ideis.

§. 26. IDea, Perceptio, Notio, Cogitatio, Sensatio, est id, quod Menti intelligenti est præsens.

§. 27. Quamvis idea a mente percipiatur,

verbis tamen describi nequit, quid sit.

§. 28. Non esse tantum mentis modum, vel affectam mentem patet, quia ideæ multæ possunt in memoria recondi, quæ menti præsentes non sunt: imo & ex memoria tempore evanescunt.

§. 29. Non esse ipsam mentem certum est, 1.° quia innumeris modis continuo discrepant ideæ, mente tamen immutata. 2°. quia eodem tempore plures ideæ simul uni & simplici menti sistuntur præsentes. 3°. quia componuntur, separantur, conservantur, revocantur, atque in eas mens operatur pro lubitu: Cum mens nequaquam se componere, separare, revocare; aut operari in se possit. 4°. quia mens percipiens ideam, aliquid percipit a se diversum, atque ita est conscia sui & suæ perceptionis.

§. 30. Idearum objecta sunt vel in ipsa mente, vel extra mentem.

§. 31. Objecta in ipsa mente sunt, quæ tantum cogitantur, licet non existant, veluti sunt figuræ Mathematicorum: tum Facultates ipsius mentis operantis.

§. 32. Objecta idearum extra mentem sunt omnia, quæ in hoc universo existunt creata, tum & ipse Deus.

§. 33. Ideæ omnes quæ percipiuntur, sunt Substantiarum, Modorum, vel Substantiarum cum modis, vel Relationum.

§. 34. *Substantiam* appello id, quod ita subsistit

ſiſtit, ut nulla alia re ſimili ad ſubſiſtendum egeat: ſive quod in ſe habet omnia ad ſubſiſtendum neceſſaria.

§. 35. *Modum* appello id, quod ſolum exiſtere nequit, ſed indiget alia re, in qua ſubſiſtat.

§. 36. *Relationem* appello ideam ex comparatione duarum rerum, vel idearum formatam.

§. 37. Intelligimus quidem dari ſubſtantias, quæ res omnes exiſtentes proprie conſtituunt, ſive fuerint ſpiritus, corpora, ſpatium, vel alia: quia hæc complectuntur proprietates inter ſe diverſas, quæ omnes ſimul uni alicui rei inſunt.

§. 38. Quid vero conſtituat ſubſtantiam ſive rerum ſpiritualium, corporum, vel ſpatii, nequaquam mente aſſequimur. Modos vero rerum clare percipimus, & quia hi ſoli non ſubſiſtere poſſunt, ſubſtantias ſimul cum modis concipere ſolemus, quotieſcunque res totas concipimus, niſi abſtractione Modum ſolum concipere voluerimus.

§. 39. Modorum nonnulli ſemper adſunt rebus, & hi ſunt immutabiles, appellanturque *Attributa*: veluti ſunt facultates mentis §. 5. tum finita extenſio & impenetrabilitas in corpore: extenſio infinita abſque reſiſtentia in ſpatio.

§. 40. Modorum aliqui ſunt mutabiles in rebus, neque ſemper inſunt; hi vocantur *proprietates* & *accidentia*: veluti calor in corpore.

§. 41. Formantur quoque ab Eruditis ideæ *Eſſentiarum* vel *Naturæ rerum*.

§. 42. *Essentiam* vocant id, per quod res est id quod est.

§. 43. Essentias rerum Idealium, veluti sunt figuræ Mathematicæ, cognovimus; cum essentia Trianguli consistat in tribus angulis, quibus figura trilinea gaudet: essentia pietatis consistit in observantia & cultura regularum in sacra scriptura nobis præscriptarum ad colendum & amandum Deum & proximum.

§. 44. Verum nec Dei, nec ullarum rerum creatarum, sive spiritualium, sive corporearum, sive spatii naturam cognoscimus: nihilominus omnibus his rebus natura quædam inest.

§. 45. Attributa quæ ex cognitæ rei essentia fluunt, *Attributa essentialia* appellantur: ita Trianguli rectilinei attributum essentiale est, ejus tres angulos esse æquales duobus rectis.

§. 46. Adeoque attributa essentialia rebus constanter quoque insunt, etiamsi non semper cognoscantur.

§. 47. Qualescunque fuerint ideæ §. 33. omnes sunt Simplices, vel Compositæ.

§. 48. Quatenus ideæ res animo repræsentant, sunt Claræ, Obscuræ, Distinctæ, Confusæ, Adæquatæ, Inadæquatæ, Perfectæ, Imperfectæ, Veræ, Falsæ, Reales, Fictitiæ, Abstractæ, Concretæ, Symbolicæ, Conjunctæ, Singulares, Particulares, Universales, Absolutæ &c. quas breviter nunc explicabimus.

§. 49. *Ideam simplicem* vocamus, cui plures

ideæ

ideæ non insunt, vel quo tempore menti est præsens, non intelliguntur inesse; veluti est idea puncti, lineæ, superficiei, unitatis, coloris, odoris, soni, durationis, momenti, extensionis, motus, doloris, gaudii &c.

§. 50. *Idea composita* ex pluribus simplicibus constat; veluti est idea urbis, exercitus, gregis, misericordiæ, fortitudinis, virtutis.

§. 51. Ut simplices ideæ animo sistantur præsentes, nonnunquam multa, quæ simul concurrunt, desiderantur; nihilominus ideæ in se ipsis consideratæ sunt simplices, nec in alias resolvendæ: ut enim idea coloris coccinei sistatur ante animum, necesse est ut adsit lux coccinea, quæ ingrediatur oculos meos sanos, commoveatque retinam oculorum, & nervum opticum sanum; tum ut mens ad nervi optici affectionem attendat: quodsi horum omnium aliquid deficiat, menti idea coloris coccinei non sistitur præsens: Hujus coloris idea autem a mente in alias resolvi nequit, nec ei inesse aliæ deteguntur, adeoque revera simplex est.

§. 52. Animus noster simplices acquirit ideas vel ope sensuum, uti Extensionis, Coloris: vel occasione sensuum, uti puncti, lineæ, superficiei: vel attendendo ad proprium statum, uti cum dolet, gaudetve: vel attendendo ad suas facultates cum operatur, uti cum intelligit, judicat, ratiocinatur, vult &c. non vero habet animus facultatem fingendi novas ideas simplices,

sive

ſive conferat alias inter ſe, ſive operetur alio quocunque modo.

§. 53. Ideæ ſimplices, quas animi omnium hominum percipiunt, videntur eſſe debere ſibi ſimiles; quod ſi enim diſcreparent, homines cum in loquendo, tum in ſcribendo nunquam ſe intellexiſſent, aut inter ſe conveniſſent, niſi caſu; atque ita deploranda fuiſſet confuſio inter mortales, his ideas ſimplices effingentibus diverſiſſimas ab aliis: harmonia autem, quæ plerumque inter homines, præcipue vero inter mathematicos, quaſdam ideas ſibi repræſentantes, regnat, ſimplicium idearum harum ſimilitudinem adſtruit.

§. 54. Ideo an ſimplices ideæ animo ſint innatæ ignoramus, an vero talis ſit animi conditio, ut non poſſit non ideas ſimplices efficere ſibi ſimiles, nec novas innumeras diſcrepantes fingere, quæ in ſocietate hominum fuiſſent inutiles, & turbas deplorandas ei intuliſſent.

§. 55. Interdum contingit, ut res non ſint ſimplices, quæ prima fronte ita apparebant, & quarum ideas ſimplices animus habebat; quando poſtea hujuſmodi res deteguntur compoſitæ, non tamen ideæ earum priores erant compoſitæ, ſed ſimplices, poſt examen vero ideæ earum ſunt mutatæ, & a prioribus diſcrepant: Sit ſuperficies, quam oculo fugitivo contemplatus politam video, ejus ideam formo ſimplicem; poſtea detego hinc inde in ea aſperitates, inflexio-

nes,

nes, & esse compositam ex adjacentibus sibi superficiebus, muto priorem ideam, novam formo: ideo prior idea non desinit esse simplex, sed differt a posteriori, quæ est composita.

§. 56. Quoniam mens humana se a corpore, quocum unita est, solvere, idque relinquere nequit, ut in aliam mentem operetur, atque hæc intelligat ea, quæ intelligi ab altera vult, signa corporea erant quærenda, quorum ope homines ideas quasi inter se communicarent, vel similes eodem tempore suæ menti sisterent præsentes: Hæc signa vel instinctu naturæ eduntur, vel ex pacto: signa naturalia sunt Lacrymæ, Ejulatio, Planctus, Risus, Saltatio, Abnuere, Adnuere, Nictitare, Propellere: signa ex pacto sunt Sermo, Scriptura, & signa corporis alia, de quibus homines inter se convenerunt.

§. 57. Homines ideas signis adnectere solent; signis idearum loco utuntur, ut alii similes ideas, quas signis adnectere didicerunt, suo animo sistant præsentes: Ideo cum loquor aut scribo quædam verba, alter his auditis vel lectis easdem sibi repræsentat ideas, si verba vel scripturam eam didicerit; tum proprie me intelligit: si vero alter didicerit iis verbis, sive prolatis, sive scriptis alias adjungere ideas, me non intelligit, vel male: si iis obscuras ideas adjungat, obscure me intelligit: Si ideas simplices nondum stiterit animo præsentes, quas verbis prolatis vel scriptis exprimere conor, aut non potuerit pro-

pter

pter organi ſenſorii defectum, etiam me non intelligit: ideo alicui a nativitate cæco non poſſum verbis exprimere colores, quos video: nec ſurdo ſonos, nec guſtu orbato ſapores, nec odore carenti odores.

§. 58. Signa ex pacto ſunt arbitraria, per ſe enim nihil denotant: ideo neceſſe eſt ut homines addiſcant ſigna; quod fit res ipſas monſtrando, & tum ſigna edendo; hinc primo & facillime addiſcunt homines corpora exprimere vocibus, difficilius res incorporeas, quæ oſtendi nequeunt.

§. 59. Voces uſurpantur tum ad totas res, tum ad earum proprietates ſeorſum exprimendas.

§. 60. Voces quæ res totas exprimunt, *Nomina ſubſtantiva* appellantur, veluti Sol, Luna, Mens, Liber.

§. 61. Quæ voces proprietates rerum ſeorſum conſideratas, ac ſi res totæ forent, exprimunt, etiam ſubſtantiva nomina eſſe ſolent, veluti Extenſio, ſoliditas, gravitas, Intellectus, voluntas, poteſtas.

§. 62. Sed ſi proprietates non conſiderantur ſolæ, verum inhærentes ſubſtantiæ, exprimuntur nominibus adjectivis, veluti gravis, rotundus, juſtus, prudens: hujuſmodi adjectiva primario & directe ſubſtantiam, quamvis confuſius notant, modum vero indirecte, ſed diſtinctius.

§. 63. Res conſideratæ ſimul cum quadam proprietate exprimuntur nomine ſubſtantivo

&

& adjectivo ſimul, veluti formoſus paſtor, Socrates ſapiens, facundus Cicero.

§. *64*. Rerum proprietates a Latinis quoque ſolo nomine adjectivo exprimuntur, id in neutro genere capiendo, uti *Album* pro albedine, *dulce* pro dulcedine: Quando duæ diverſæ proprietates in uno ſunt ſubjecto, & altera de altera prædicabitur, utuntur Latini adjectivis ſubſtantive ſumtis, non vero duobus ſubſtantivis; uti loquentes de Lacte, *album eſt dulce*, vel *dulce eſt album*, non vero albedo eſt dulcedo.

§. *65*. Quoniam res, earumque ideas vocibus exprimimus, patet tot nomina in qualibet Lingua deſiderari, quot rerum exiſtunt in univerſo, vel concipiuntur animo, diverſæ ſpecies: Non quidem neceſſe eſt ut cuilibet ſpeciei unum nomen diverſum apponatur; cum nonnullæ duobus, aliæ tribus inſigniri poſſunt, quæ tamen omnia idem ac unum nomen præſtant.

§. *66*. Quoniam innumeræ res, priſcis incognitæ, perpetuo deteguntur & inveniuntur, in omnibus linguis magnus erit nominum defectus, niſi nova quoque fingantur rebus novis imponenda, veluti antiqui Græci & Latini etiam fecerunt.

§. *67*. Paupertas linguarum fecit, ut res diverſæ interdum eodem nomine inſignitæ fuerint, ex quo oriuntur ambiguitates, confuſiones & errores; non enim ſemper conſtat, aut colligere licet, quid per hoc illudve nomen autor ſive

ſcri-

ſcribendo, vel loquendo intellexerit: præterea homines earundem rerum diverſas ſæpe formant ideas, quas tamen iiſdem vocibus exprimunt: uti *vera virtus*, *vera religio*: harum aliam ideam format Ethnicus, aliam Mahumedanus, aliam Chriſtianus: imo Chriſtiani inter ſe vehementer de iis adhuc diſſentiunt. Inſuper variâ ætate res eaſdem aliter concipimus, retinemus tamen eaſdem voces, quibus ideas exprimimus.

§. *68.* Ut confuſiones & errores evitentur, nomina tam nova, quam diverſarum ſignificationum, ſunt definienda, ſive explicanda, enumerando ideas ſimplices, quæ in compoſita continebantur; aut determinando ideam, quam huic illive nomini adnectimus. Vocatur hoc *definitio nominis*.

§. *69.* Quamvis unicuique jus competat ſenſum voci dare, ſive ideam illi adnectere, quam velit, modo id in anteceſſum moneat; attamen non temere recedendum eſt a ſenſu communi, quia id faciendo difficillime ab aliis intelligemur, quibus prius lingua noſtra eſt addiſcenda, & qui niſi ſumma utantur attentione, in errores noſtrâ culpâ ſunt proni: pari pacto bonæ & receptæ definitiones mutandæ non ſunt, ſed retinendæ; mutatione enim earum multa ſcientiæ inferimus incommoda, nec proſumus.

§. 70. Semper autem voces tum a nobis in progreſſu ſermonis vel doctrinæ eodem ſenſu ſunt capiendæ, veluti fecerunt Mathematici, atque

ita

ita evitabuntur errores, & controversiæ.

§. 71. Ex his patet, omnia nomina non esse definienda; quæ enim uni ideæ cognitæ adnexa semper fuerunt, inutiliter definirentur: Sed & nomina, quæ ideis Simplicibus adjuncta sunt, definiri aut explicari ulterius verbis non possunt. Cum autem invenimus linguam, in qua incognita nomina nobis occurrunt, adeundi sunt Grammatici, qui hæc definiunt ex usu communi, quem penes populum habent: vel consulendi sunt Critici, qui nominum peculiarem significationem determinant, ut & quibus in occasionibus, ac locis, & quo tempore eam acceperint: Veluti *hostis*, notante Cicerone, apud veteres Romanos significabat, qui postea *peregrinus* vocabatur: deinde *inimicus*, quocum bellum geritur.

§. 72. Voces quæ rei conjunctionem cum proprietate quadam singulari exprimunt, vocantur *Verba*, veluti *Homo est eruditus*: *Cajus militat*, sive *Cajus est miles*.

§. 73. His expositis quæ spectabant ideas simplices ad Compositas redeamus, quarum meminimus in §. 50. Ideæ compositæ constant ex pluribus ideis quam una; quo igitur idea composita plures ideas in se concludat, eo erit magis composita: quo pauciores complectatur ideas, eo propius ad Simplices accedit: Erit igitur compositarum idearum innumerabilitas. Ita ex duabus ideis modo constabit idea Anguli,

li, qui eſt duarum linearum ad ſe inclinatio, Hominis utpote conſtantis ex corpore & animo: ex pluribus idea domus, palatii, quod plurimis cameris areiſque conſtat: adhuc ex pluribus idea pagi, & ulterius idea urbis; magis compoſita regionis, idea magis eſt compoſita idea inhabitatæ terræ, & tandem maxime compoſita eſt idea mundi, omnia creata complectentis.

§. 74. Contingit nonnunquam, ut eodem tempore animo plures ideæ ſimul ſiſtantur præſentes, quæ non rem unam, ſed diverſas, in quibus nihil eſt commune, exhibent: Hæ ideæ vocantur *Conjunctæ*.

§. 75. Quotieſcunque animus tum ab idea rei, tum a conjuncta valde fuit affectus, ſolet redeunte una redire altera idea, adeo ut illæ quaſi cohæreſcere videantur, quæ tamen ſeparatæ ſunt: Veluti ſi quodam die urentiſſimo, cum valde ſitiebam, viderim ex improviſo Gigantem: poſtea redeunte idea Gigantis redibit idea acris ſitis & fervoris diei: aut redeunte idea urentiſſimi diei redibit idea Gigantis: quamvis hæ ideæ revera ſint ſeparatæ. Videntur ſimul redire præſentes animo, quia ſimul memoriæ imprimebantur, hinc revocata una, redit quoque altera idea: ſi autem conjunctæ ideæ non vehementer affecerint animum, ex memoria deinde delentur, & ideæ ſolæ rerum animo ſiſtuntur præſentes.

§. 76.

§. 76. Hæc idearum conjunctio in diversis hominibus valde discrepat, nam pendet a diversis circumstantiis, in quibus homines has aliasve ideas acquirentes ponebantur. Per totam vitam conjunctas facere & conservare solemus ideas, quæ in senectute, obtusiori jam memoria, inserviunt revocandis ideis, quas absque illis animo sistere præsentes vix possemus.

§. 77. *Idea clara* est, quæ mentem vehementer afficit.

§. 78. Si igitur idea simplex fuerit clara, tota ab animo perspicitur, ac tam bene intelligitur, ac potest: cum enim idea simplex non constet ex aliis, simulac percipitur, tota percipitur.

§. 79. Quoniam idearum claritas pendet ab affectione animi, atque hic tam propria attentione, quam operatione corporis in se vario modo affici possit, patet in claritate idearum varios esse gradus, quos tamen determinare non licet.

§. 80. Idea composita clara est, in qua quicquid percipitur, clare percipitur, sive in qua ideæ simplices, quæ percipiuntur, clare percipiuntur, quamvis non percipiantur omnes.

§. 81. *Obscura* est idea, quæ debiliter afficit mentem, ut vix intelligatur: veluti cum objectum in loco tenebroso intuemur, aut tenuem sonum è longinquo audimus.

§. 82. Obscuritatis proinde diversissimi sunt

gradus, cum ideæ variis gradibus debilitatis mentem afficere possint.

§. 83. Ideæ compositæ sæpe sunt obscuræ, cum iis insunt multæ ideæ simplices, quarum quædam vix, aut non mentem afficiunt, quod earum respectu idem est, ac si abessent.

§. 84. Quo plures proinde ideæ in quadam composita cognoscuntur, eo obscuritas minor est; quo pauciores cognoscuntur, & quæ mentem minus afficiunt, eo obscuritas major est.

§. 85. Idcirco substantiarum ideæ sunt valde obscuræ, vix enim earum aliquid, præterquam quod necesse est, ut dentur substantiæ Spirituum, Spatii, Corporis, cognoscimus: quoniam proprietates harum rerum necessario alicui rei inesse debent: sed quid sit substantia uniuscujusque, quomodo illi inhæreant proprietates, ignoramus omnino: Augetur obscuritas, cum paucissimas tantum proprietates noscamus, nec quid quamlibet proprietatem spectat. Quoad mentem innumera sunt obscura, tam quæ spectant originem idearum, operationem in eas, memoriam, quam conjunctionem mentis cum corpore, locum conjunctionis, tempus, formam: nec aliter sunt comparata corpora, quoad soliditatem, inertiam, vires, earum transfluxum &c.

§. 86. Si quis fuerit tyro in scientia, quam exponi audit, in principio omnium fere rerum occurrentium obscuras format ideas, cum om-

nes

nes simplices, quæ compositas ingrediuntur, nondum intellexerit, & examinaverit: ideo temporis successu cum quædam examinatæ & clare intellectæ fuerunt, obscuritas incipit minui, & longa politura atque examine evanescere.

§. 87. Idea rerum impossibilium etiam sæpe est obscura, cujus causa est ignorantia nostra: & ideo examine instituto & erutâ impossibilitate evanescit obscuritas: Ideo si cum aliquo in Mathesi non versato loquar de Bilineo rectilineo, ideam hic figuræ sibi formabit, sed obscuram; est autem impossibilis, cum tres rectæ tantum claudere queant spatium: quo cognito impossibilitas detegitur, & evanescit obscuritas.

§. 88. *Distincta* est idea, quam animus diversam a quacunque alia intelligit, quæ differentiæ cognitio consistit in cognitione proprietatum, quas animus sibi sigillatim repræsentat: ita idea spatii est diversa ab idea corporis, cum illa penetrabilitatem, altera impenetrabilitatem; illa extensionem infinitam, hæc finitam exhibeat: ex quibus patet ideam spatii esse distinctam.

§. 89. Hinc idea distincta ponit cognitionem aliarum idearum; non enim differentia cognoscitur, nisi cognoscantur plura: perfecte distincta proinde erit idea, quæ repræsentat proprium cujusque rei, nam id nulli alteri convenit, eoque res una differt ab omni alia.

§. 90. Et ideæ distinctæ possunt esse claræ,

possunt esse obscuræ: nam in obscuris sufficit, ut modo cognoscantur diversæ ab aliis. Simplex distincta clara idea non admittere videtur gradus quoad perfectiorem distinctionem: Sed composita distincta clara idea gradus perfectionum admittit: nam eo magis distincta ab omni alia cognoscetur, quo plures ideæ componentes clare cognoscuntur: hinc si cognoscantur omnes, foret idea distinctissima: Ideo in composita distinctionis perfectio erit eo minor, quo pauciores ideæ, quæ compositam ingrediuntur, cognoscuntur.

§. 91. Quia ideas compositas multæ ideæ similes ingrediuntur, difficilius distinguuntur compositæ, quam simplices; nam præter eas, quas compositæ habent communes ideas, invenienda est illa, quæ est in una, & non in altera idea composita, qua hæc ab illa distinguatur; cum in simplicibus ideis illico & sponte differentia cognoscatur: ideo distinctiores nobis apparent ideæ simplices, quam compositæ: Punctum imaginor distinctissime, lineam distinctius superficie, hanc corpore, lineam rectam circulari, triangulum polygono, circulum parabola: Verum in idea composita a multitudine rerum comprehendendarum ita obruitur intellectus, ut primo vacillet, & tandem nos destituat: Chiliogonum enim difficulter imaginamur, figuram myriadum laterum difficilius: imaginando dumtaxat duas hujusmodi figuras distinctionem

nul-

nullam animo exhibere possumus: distinguimus tamen, sed attendendo ad numeros laterum diversos, non ad ipsas figuras.

§. 92. Omnis clara idea non est semper distincta, quippe possunt duæ ideæ vehementer mentem afficere, & ideo esse claræ, quamvis non exhibeant differentiam, qua inter se dignoscantur: Digitus scindatur cultris eodem tempore in duobus vel pluribus locis, sibi propinquis, oritur dolor, mens percipit clare utramque læsionem, non tamen distinguere potuit dolorem: Videam clare in tenebris duos radios coccineos ex luce solis prismatibus duobus refractos, amborum radiorum æque clara est idea, sed quæ non exhibet differentiam: Admoveatur manus frigida igni aliquantulum, clare mens percipit ignem calere: manus jam propius admoveatur igni, ut comburatur, jam dolet: mox propius admoveatur igni, ut citius comburatur, tantum dolet: utraque idea est clara, sed non distincta, cum non exhibeat differentiam: sed tantum dolorem.

§. 93. Idcirco veluti distinctæ ideæ non semper sunt claræ, etiam vicissim claræ ideæ non semper sunt distinctæ.

§. 94. Quæsitum etiam fuit, an ideæ distinctæ verbis describi possent, ex quibus homines ideas colligere vel efficere possent? Id vero ideis simplicibus non convenit: tum enim Philosophus, qui distinctas ideas Lucis, Colorum, So-

ni, Tonorum, habet, cum cæco, tum surdo indicare posset, quid foret Lux, color, sonus, tonus, ita ut similes ideas formaret, ac Philosophus. Compositæ autem ideæ distinctæ plerumque verbis exprimi & describi possunt.

§. 95. *Confusa* est idea, quam ab alia quacunque non, aut vix, aut non rite distinguere possumus: Veluti est idea summæ nummorum inordinate acervatorum; aut cum e longinquo plurium hominum, in foro simul loquentium, murmur audimus, tum enim quid quisque loquatur distinguere nullo pacto possumus, aut non rite.

§. 96. In confusis ideis proinde dabuntur gradus confusionum, quippe ea erit confusissima, in qua prorsus nihil distinguere possumus: minus confusa est, cum aliquid, quamvis parum, distinguere incipimus: & eo magis minuetur confusio, quo distinctionis gradus magis increscunt.

§. 97. Ideæ confusæ plerumque simul sunt obscuræ: pendent autem plerumque a multitudine idearum, quæ simul animo proponuntur: si enim paucæ illi sint præsentes, raro datur confusio, aut diu perstat.

§. 98. Patet ex his, Ideas obscuras non semper esse confusas: Sed veluti claritati obscuritas, ita distinctioni confusio opponitur.

§. 99. Aliquando claræ ideæ sunt simul confusæ, nisi attendamus, nam cum digitus vulneratur,

ratur, percipimus dolorem, eumque referimus ad digitum, cum menti tantum insit: ita videmus clare objectum coloratum, colorem tribuimus objecto, cum tantum sit idea in nostra mente.

§. 100. *Idea perfecta*, vel *completa* vocatur, quæ exhibet proprietates, quibus res semper ab omnibus aliis abunde distingui potest.

§. 101. *Idea imperfecta*, vel *incompleta* vocatur, quæ licet clara & distincta sit, non tamen exhibet omnes eas proprietates, quibus res semper ab omnibus aliis distingui posset.

§. 102. Hinc ideæ, quæ habitæ antea fuerunt perfectæ, successu temporis, detectis rebus novis, sæpe imperfectæ deprehenduntur: quod contingit, quia essentias rerum ignoramus, iis enim cognitis semper perfectas rerum ideas formare potuissemus: cum igitur Mathematici figurarum essentias cognoscunt, figurarum perfectas quoque ideas formare possunt, iisque tuto acquiescunt, quod in aliis scientiis non semper licet.

§. 103. Idea *Adæquata* est, quæ repræsentat id omne, quod rei inest: Est igitur idea hujusmodi absolute perfecta: adeoque clara & distincta simul.

§. 104. Quod si idea fuerit simplex, Adæquata convenire potest cum clara, veluti est idea Puncti, Unitatis, Lineæ.

§. 105. Compositæ autem ideæ possunt esse

claræ, quamvis non sint adæquatæ: ut enim composita idea adæquata vocetur, necesse est ut omnes componentes ideæ intelligantur penitus, adeoque clare & distincte; cum tantum ad claram ideam sufficiat, ut modo vehementer animus afficiatur ab una, vel pluribus ideis, quæ compositam ingrediuntur.

§. 106. *Inadæquata* vocatur idea, quæ non exhibet id omne, quod rei conceptæ inest.

§. 107. Proinde simplex idea clara non potest esse inadæquata: cum illi id unicum modo insit, quod repræsentatur. Sed Compositæ ideæ erunt inadæquatæ, cum multa complectantur, quæ non intelliguntur, sive propter multitudinem, sive ingenii tarditatem, obscuritatem, confusionem. Hujusmodi ideas inadæquatas habemus omnium rerum extra nos existentium: nam res nullas sive corporeas, sive spirituales, sive alias, penitus cognoscimus, ut nihil amplius de illis nos lateat: adeoque & Imperfectæ & Inadæquatæ sunt omnes in nobis rerum existentium ideæ: nec spes, nec modus ullus nobis superest, earum ideas adæquatas formandi. Solus Deus perfecte cognoscit omnia absque ignoratione ulla.

§. 108. Dantur in Ideis inadæquatis gradus plurimi: nam quo in ideis, ex æquali numero compositis, pauciores cognoscuntur ideæ, eo erit idea imperfectior, quo plures cognoscuntur ideæ, eo minus imperfecta erit. Si innumeræ ideæ ingre-

grediantur compositam, veluti ideam Mundi ingrediuntur, & paucissimæ tantum cognoscuntur; est idea imperfectissima. Si ex paucis ideis modo constiterit composita, & aliquot cognoscantur, idea erit minus imperfecta.

§. 109. In principio rerum omnium obviarum admodum imperfectas, inadæquatas, & obscuras formamus ideas, quas attentione, examine longo, repetito, & exercitio polimus & perficimus magis magisque, eas reddentes claras & distinctas: ideo qui sunt in aliqua arte aut scientia versati, qui attentione uti didicerunt, & examine, clariores, distinctiores & perfectiores de rebus in arte vel Scientiá obviis formant ideas, quam imperiti: veluti patet in Medico Dogmatico & Agyrta: in Architecto perito & Cæmentario; in Statuario & Lapidario: quod cum manifestum sit, unicuique in sua arte credere absque sollicito examine solemus.

§. 110. Ut autem ideas obscuras & confusas rerum reddamus claras & distinctas, oportet ut ideam ejusmodi menti sistamus præsentem, examinemus ex quibus ideis componatur, sive quænam sint prædicata in subjecto, quod ideâ exhibetur: tum quodlibet prædicatum seorsum examinemus, an semper adsit subjecto, an abesse possit: quæ abesse possunt, proprie non pertinent ad subjectum: quæ semper adsunt, ad illud pertinent; hoc pacto idea objecti, quæ primo fuerat obscura, redditur clara & distincta.

§. 111.

§. 111. Hinc ad compositas ideas reddendas distinctas necesse est, ut resolvantur in simplices; & quo accuratius resolvantur in omnes componentes, eo clarius & distinctius, cunctarum instituto examine, ideæ compositæ intelligentur.

§. 112. Idea *Vera* repræsentat id, quod rei inest, sive repræsentat rem, qualis est: ita idea, quæ repræsentat figuram tribus lineis ab omni parte terminatam, repræsentat triangulum, & vere, quippe ita se habet triangulum: ita si idea, quam de hoc corpore A habeo, exhibet id, quale est corpus, est vera idea.

§. 113. Idea *falsa* est, quæ non repræsentat rem, qualis est, aut quæ repræsentat non rem, tanquam rem: ita idea coloris nigri exhibet nigredinem, ac si verus foret color in objecto, cum tantum sit privatio coloris: ita cum frigus sentimus, ideam frigoris, tanquam rei formamus, cum sit mera caloris sive ignis absentia: ita audimus silentium, cum revera nihil audiamus: Crebro Philosophi hujusmodi falsas ideas formant, uti cum corporum elementa ex rebus non extensis constare se concipere autumant, aut Substantias & Naturas rerum à suo animo intelligi.

§. 114. Ideæ *Reales* exhibent res, quæ revera in Mundo existunt: has alii vocant *Concretas*, ac si ideæ rerum existentium nobiscum forent concretæ, connatæ, vel innatæ.

§. 115. Has ideas acquirimus attento exami-

ne

ne nostræ Mentis, tum sensuum ope attendendo ad corpora, tum revelatione, dictis, verbis.

§. 116. Hæ ideæ proinde non pendent a nobis, cum aut sponte se offerant menti, aut acquirantur nobis invitis, aut absque conscientia mentis efficiantur, exhibituræ res, quę sunt, prout sunt.

§. 117. Ideæ *fictitiæ* sunt, quæ exhibent res, quales actu extra mentem non sunt, veluti sunt ideæ figurarum, quas concipiunt Mathematici: tum ideæ Sphingis, Harpyiæ, Pegasi, Centauri, Semibovis, Semicapri.

§. 118. Quamobrem hujusmodi ideæ sunt simplices vel compositæ: Componi autem possunt innumeræ ex aliis simplicibus.

§. 119. *Ideæ Symbolicæ* exhibent Symbola rerum pro rebus ipsis: contemplantes pictam tabulam, quæ referat alicujus Regis imaginem, acquirimus ideam Symboli, & Regis, si Regem cognoscamus; ita Mappæ Geographicæ sunt signa regionum. Hujusmodi ideis symbolicis utuntur Algebristæ pro rebus substituendo signa a, b, c, x, y, z, quæ non aliter considerant, tractantque, quam res ipsas: Arithmetici utuntur numeris, qui tantum sunt signa, quibus multitudines exprimuntur. Multi homines eodem modo utuntur vocibus loco rerum, uti cum loquuntur de Virtutibus & Vitiis.

§. 120. Signum igitur duas complectitur ideas, unam rei repræsentantis, alteram rei repræsentatæ, idea autem secunda occasione primæ excitatur.

§. 121. Signa sunt *certa*, uti Solis supra horizontem conspectus certum est signum diei, cum necessario signum cum re signata conjungitur.

§. 122. Vel signa sunt *probabilia*, quando non necessario cum re designata conjunguntur, sed plerumque, uti cum quis audito alicujus nomine pallet, si hunc pallorem pro signo amoris habuero.

§. 123. Vel signa sunt *cum rebus conjuncta*, uti *acceleratus pulsus est signum febris*.

§. 124. *Vel* sunt *a rebus sejuncta*, uti sacrificia legis antiquæ sunt Christi immolati signa.

§. 125. Omnia quæ cognoscuntur in hoc Mundo sunt a se distincta, & vocantur *Individua*, aut *Res singulares*.

§. 126. *Individuum* est aliquod Totum, quod rem quandam efficit. Est vero vel aliquid Simplex & unum, veluti mens Petri, corpus Aristotelis, hæc mensa: vel aliquid compositum ex multis, quorum acervus consideratur ut unitas: veluti Urbs Roma, Exercitus Annibalis, Mons Atlas, Fluvius Rhenus, Mundus.

§. 127. Quicquid de Individuis Simplicibus, quatenus sunt res in Mundo, novimus, constat in cognitione proprietatum, quas habent; omnium vero tum Substantia, tum Natura ignoratur.

§. 128. Quotiescunque rei proprietatem vel statum præsentem animo concipio, eamque solam tanquam rem singularem, concipio rei *Modum* vel *Prædicatum*, secundum Logicorum loquendi morem.

§. 129.

§. 129. Modi sunt vel Interni, vel Externi. *Interni* concipiuntur inesse substantiæ, veluti *gravis, rotundus*. *Externi* ab aliqua re desumuntur, quæ substantiis non inhæret, veluti *amatus, visus*, *laudatus*, sed ad eas ab aliis substantiis referuntur.

§. 130. Sunt & *modi substantivi*, qui nobis repræsentant veras res, sive substantias, aliis substantiis modorum instar applicatas: quales sunt *Vestitus*, *Armatus*.

§. 131. Modi sunt *Positivi* vel *Negativi*. Positivi designant quendam determinatum rei statum: veluti calere, esse asperum, politum, grave, durum, doctum, sapientem, operari.

§. 132. Modi *Negativi* dicuntur, qui rem esse in eo statu, in quo esse posset, aut deberet, negant: hi ab aliis vocantur *Privativi*, veluti *corpus inodorum*, *insipidum*; *homo indoctus*, *insipiens*, *insomnis*, *insociabilis*, *cæcitas*, *mors*.

§. 133. Sed hujusmodi modi Negativi proprie non sunt modi, cum modus sit certus & præsens status, sive proprietas rei: adeoque negativus modus est absentia proprietatis, proinde est nihil: idcirco rite attendere oportet, ne modos negativos habeamus tanquam aliquid, quod sæpe fit, tumque ideas formamus falsas, quas sæpe formamus, cum tanquam res consideramus frigus, silentium, tenebras, nigredinem.

§. 134. Alii modos negativos appellant, qui absunt a subjecto, quod eorum capax non est,

veluti est Extensio respectu Spiritus, Impenetrabilitas respectu Spatii, Cogitare respectu Corporis; dependens esse respectu Dei: Hoc pacto innumeri modi negativi dabuntur, qui in se spectati non forent nihil, cum aliis rebus insunt: & ideo non recte Philosophi hos modos Negativos cum privativis §. 132. pro iisdem numerant, cum inter se discrepant, uti aliquid a nihilo.

§. 135. Privationes sunt *Physicæ* vel *Morales*: Physicæ spectant objecta naturalia & eorum constitutiones corporeas, veluti *surditas*, *cæcitas*, *impotentia*; Morales spectant gesta & mores, veluti *impietas*, *infamia*.

§. 136. Privationes sunt vel *Totales*, vel *Partiales*: *Totales* sunt, quando objecta penitus iis sunt destituta, quorum a natura erant capacia, veluti est perfecta cæcitas, surditas, paralysis artus, memoriæ abolitio, mors. *Partiales* sunt quando pars tantum eorum abest, quæ naturaliter adesse solebant; veluti cinnamomo ex ramis deciduo obtinet in arbore respectu corticis; in debilitate visus.

§. 137. Modi dicuntur *Oppositi*, qui sunt ejusdem generis, & qui eidem parti ejusdem objecti simul inesse nequeunt; sed quidem seorsum, cum omnino sunt contrarii veluti est *album* & *nigrum*: *calidum* & *frigidum*: *humidum* & *siccum*: *bonum* & *malum*: *prodigalis* & *avarus*.

§. 138. Inter modos oppositos aliquando dantur

tur *intermedii*, quibus aliquid alterutrius extremi ineſt: veluti inter Album & nigrum intercedunt alii colores ſive *coloratum*. *Tepidum* eſt inter calidum & frigidum: *Liberalis* inter prodigalem & avarum: *Stata virgo* inter formoſam & difformem: *Matura ætas* inter ſenectutem & infantiam: *Mediocritas* inter gigantem & pygmæum.

§. 139. Aliquando non dantur modi intermedii, veluti inter Grave & leve: inter penetrabile & impenetrabile: inter par & impar: inter Eſſe & non eſſe: Quieſcere & moveri.

§. 140. Quando datur idea compoſita ex ſimplicibus, attendere poteſt animus ad quandam ſimplicem neglectis reliquis, id cum facit, dicitur uti *Abſtractione*: Adeoque abſtractio in ideis ſimplicibus locum non habet.

§. 141. Utimur abſtractionibus, quia ingenium humanum arctis limitibus circumſcriptum eſt, ut nequeat plura ſimul contemplari, ideo attentionem ad unam rem dirigit, eamque examinat, atque eo modo, alias ideas ſimplices ſucceſſive percurrendo, tandem totam rem optime intelligit.

§. 142. Quotieſcunque res, cujus compoſitam ideam animus format, conſtat ex partibus, aut ex iis concipitur conſtare, & partem ſolam conſideramus ſeorſum, aut examen inſtituimus per partes, dicimur uti *Abſtractione formali*. Veluti cum attendimus tantum ad pedem corpo-

ris humani, ad rotam horologii: aut cum Jacobus vere pius asseritur, examinamus mores Jacobi, ab Infantia adscendendo ad pueritiam, adolescentiam, Juventutem, usque ad præsentem statum: deinde pergimus examinando eruditionem Jacobi, an didicerit veram religionem, eamque excoluerit: atque per partes instituendo examen.

§. 143. *Abstractio modalis* dicitur, cum attendit animus tantum ad unum rei modum, non ad substantiam, nec ad reliquos modos, qui rei insunt: veluti cum attendimus tantum ad Memoriam, non ad substantiam mentis: aut si consideremus rotunditatem corporis, non cogitando utrum sit Lignum, Lapis, vel aliquid aliud. Si igitur res uno tantum constat modo vel prædicato, Abstractio locum non habet.

§. 144. Sed & in ipsis modis abstractio alia adhuc locum habet, quoties ipsi modi sunt compositi, tum enim ad horum unum attendendo, omissis ceteris, abstractionem novam formo. Veluti in examine mentis attendam ad Intelligentiam, omissa mentis substantia. 2.° In Intelligentia attendam tantum ad facultatem percipiendi, omissa illa judicandi, ratiocinandi, memoriæ &c. vel in examine corporis attendo ad ejus motum, omissis reliquis proprietatibus corporis: in motu attendam ad directionem, neglecta velocitate: in directione attendo ad viam, quæ primo tempore percurritur, omissa reliqua

par-

parte viæ ſequentium temporum. Sit hic deſcriptum Triangulum Iſoſceles, cujus quodlibet crus longitudinis eſt pedalis: jam mente concipiam Triangulum Iſoſceles, nulla ratione habita longitudinis crurum: nunc animo propono Triangulum, utpote terminatum tribus lineis rectis: denuo propono mihi figuram terminatam undique lineis, non attendendo ad numerum linearum: nunc terminis ſublatis attendo ad extenſionem: adeoque ab una abſtractione ad aliam gradatim adſcendere poſſumus, & gradus inferior ſemper ſuperiorem in ſe complectitur, ſed cum quadam determinatione, qua ſublata habetur ſuperior.

§. 145. Attendendo ad res & earum ſimiles, tumque cogitando de iis modis, quibus inter ſe conveniunt, neglectis ſingularibus, quibus una res ab altera differt, dicimur uti *Abſtractione ſimilium*: quali utuntur Geometræ, qui conſideraturi Triangula, omittunt ſingularem magnitudinem hujus illiuſque, ſed attendunt ad proprietates angulorum, vel proportiones laterum, in quibus conveniunt: Hoc modo etiam ideæ Univerſales formantur, uti *corporis in genere*, *motus in genere*: abſtrahendo ſcilicet a corporibus A, B, C, primum quicquid unicuique ſingulare eſt, tumque ſupereſt, quicquid eſt A, B, C commune, quod corpus in genere appellatur.

§. 146. Adeoque abſtractio ſimilium ſupponit ſubjecta plura, quæ in aliquibus modis con-

veniunt, in aliis differunt: cum in abstractione omittit animus percipere diversa, retinendo communia; si igitur multa quidem essent objecta, quibus plurimi inessent modi, sed omnes similes, abstractio similium in iis non haberet locum.

§. 147. Quando ad ideas universales abstractione pervenimus, in his nihil affirmamus aut negamus, cumque tantum rerum modos a se quasi separamus, vel seorsum eos consideramus, non erramus eos modos non mutatos contemplando, nam sunt revera modi, qui rebus insunt: hinc ortus est Canon, *abstrahentium non est mendacium*: quod aliquo sensu verum est; si nempe modos non mutatos contemplemur.

§. 148. Quæsitum fuit a Logicis, *an Universalia a parte rei existant*? quod tam negatum, quam defensum fuit: Quod est universale, est aliquis rerum modus; qui si consideretur indeterminatus, veluti in Universalibus consideratur, revera non inest rebus, cum quiscunque fuerit modus in quacunque re, semper sit determinatus; adeoque universale indeterminatum a parte rei non existit: quatenus autem modus tantum consideratur, hic non mutatus rebus vere inest, ab eo enim, qui rei inerat, originem cepit modus universalis, sed mutatus, nam ex determinato factus est indeterminatus: v. gr. Extensio in genere est aliquid universale; hæc, ita indeterminata, non existit in aliquo

quo corpore, nihilominus corpori cuicunque competit extensio, sed singularis & determinata: adeoque extensio singularis existit a parte rei, & ab hac extensio universaliter considerata originem cepit.

§. 149. Adeoque universalis idea, quatenus est indeterminata, non habet prototypon extra mentem. Nam extensio in genere, Homo in genere nullibi existit: idcirco universales hujusmodi ideæ a nostro animo efformantur, & tantum postquam singulares rerum ideæ ipsi fuerint præsentes; nam objecta omnia cum sunt singularia, quæ a nobis examinantur & addiscuntur, sunt veræ causæ idearum singularium; has ergo primo animus acquisivit, multique homines per universam vitam nullas alias formant; verum qui studiis navant operam, abstractionibus uti discunt, & ideas universales formant; quod levi labore non fit: idcirco ex ideis universalibus non formantur a nobis singulares, sed ex singularibus universales.

§. 150. Cum adeo difficulter ideas universales animus format, nonnulli eruditi asseruerunt, eum non immediate posse imaginari universalia; ecquis enim sibi proponet figuram planam rectilineam, aut Triangulum Isopleuron, verum animum semper concipere singularia quædam, aut universalium sola nomina? Sed nomina, quibus non respondent ideæ, sunt inania, nec intelligi possunt: si igitur intelligan-

tur, ideæ eorum intelliguntur: ſunt vero ideæ indeterminatæ iis nominibus annexæ, quæ ideæ ſunt admodum obſcuræ, in quibus cum noſter animus non acquieſcit, claras amans, relictis obſcuris, ſibi claras & determinatas proponit, quæ tamen tum veræ illæ ideæ non ſunt, de quibus agebatur.

§. 151. Quoniam igitur ideæ univerſales ab animo formantur abſtractione, nihil magis erroneum erat, quam concluſio, qua affirmabatur, Univerſalia hujuſmodi dari, & omnia Entia ſingularia ad hoc Ens in genere ita pertinere, ut nulla daretur exiſtentia, niſi in hoc ipſo, veluti aſſeruit Spinoza.

§. 152. Interim idearum univerſalium formatio & introductio in Scientiis plurimum utilitatis attulit, earumque ope Scientiæ brevius tractari poſſunt: qui enim univerſalia explicat Spirituum, Corporum, aliarumve rerum, ſemel labore hoc exantlato, non repetere ea tenetur in examine hujus illiuſve ſpiritus, aut corporis, cum ſemel ea tradidiſſe ſufficiat, quæ conveniunt omnibus.

§. 153. Simulac ideam univerſalem reſtringimus, a genere recedimus ad ſpeciem: hæc reſtrictio fit additione alterius ideæ & determinatæ, uti ſi ideæ Trianguli addidero ideam anguli recti, tum fit quædam ſpecies Trianguli, nempe rectanguli.

§. 154. Sed & addendo ideam indetermina-

tam

tam fieri poteſt reſtrictio, uti ſi *Triangulum aliquod* ponatur, jam non amplius genus, ſed ſpecies, imo individuum, licet indeterminatum, habetur.

§. 155. *Idea ſingularis* repræſentat rem ſingularem vel individuum aliquod, veluti idea eſt, quæ repræſentat Ariſtotelem, Ciceronem, hunc librum.

§. 156. Ut vero idea ſit ſingularis, non requiritur, ut res, quam exhibet, ſit ſimplex, ſive una ſubſtantia, aut unus modus: ſed poteſt eſſe res compoſita, vel modorum collectio, aut relationum determinatus numerus, modo animus percipiat rem ut unam, & non ut multiplicem: hinc ſingularis eſt idea hujus cumuli arenarii, hujus urbis, hujus exercitus.

§. 157. *Idea concreta* nobis vocatur, quæ exhibet rei prædicatum, una cum re, cui prædicatum ineſt: veluti enim ſola idea *rotundi* eſt abſtracta, ita idea *pilæ rotundæ* eſt concreta, exhibens prædicatum rei ſive *rotundum*, & rem ipſam ſive *pilam*, cui rotunditas ineſt. Hanc vocem alio ſenſu capimus, quam alii philoſophi; vide §. 114.

§. 158. Ergo idea abſtracta & concreta differunt ratione ſubjecti repræſentati, quod ex una abeſt, alteri adeſt. Ideo idea concreta non erit ſimplex.

§. 159. *Idea particularis* inter univerſalem & ſingularem intercedit; plura enim exhibet quam

ſingularis, pauciora quam univerſalis; eam enim limitat, at paucioribus adſtringit: veluti cum ex toto genere humano determinantur aliqui; ex omnibus ſpiritibus aliqui ſapientes.

§. 160. Sunt vero quinque Univerſalia in Scholis admodum decantata, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens, adeoque merito explicanda cum ubivis obvia ſunt.

§. 161. Quando res diverſæ conſiderantur, & modi aliquot, in quibus conveniunt, inter ſe colliguntur, omiſſis reliquis, formatur idea univerſalis, uti traditum in §. 147. quæ vocatur *idea Generis* uti ſi fuerint: Cajus, Marcus, Paulus, Titius, Cornelius, conveniunt in eo, ut ſint donati corpore humano & mente rationali, omiſſis omnibus reliquis modis, formo ex modis communibus ideam univerſalem Hominis, quæ eſt idea Generis.

§. 162. Verum conſiderando deinde res alias, uti Leporem, Bovem, Equum, Simiam &c. & attendendo ad corpora eorum & animam, poteſtate & quadam ſpecie intelligentiæ præditam, tum ad hominem corpore & mente præditum, colligo iterum communia, & formo ideam univerſalem generis, quæ eſt idea Animalis.

§. 163. Deinde conſiderando omnia alia corpora hujus univerſi, tum & animalia, & omittendo ſingulares modos, ſed colligendo id commune, quod ſint corpora, formo ideam corporis in genere: tum conſidero corpora, & ſpiritus,

tus, & ſpatium, quod ſunt Entia ſive aliquid, formo iterum ideam univerſalem, quæ etiam eſt idea generis: ſed idea Entis, ſive ſubſtantiæ in genere.

§. 164. Genus §. 161. vocatum fuit *Genus infimum*: genus autem §. 162. *Genus medium*, vel *ſubalternum*, & genus §. 163. *Genus ſummum*, cujus idea eſt univerſaliſſima omnibus minutis modis liberata, neque ullum aliud genus ſupra ſe agnoſcens, cum acquiſiverit altiſſimum abſtractionis gradum. In genere autem medio aliquot modos a re cogitando rejicimus, aliquot retinemus, ſed qui communes ſunt aliis rebus, adeoque paucioribus abſtractionibus uſi ſumus, quam in genere ſummo. In genere infimo pauciſſimos tantum rejecimus modos.

§. 165. Ex his liquet Genus ſummum poſſe eſſe tantum unicum; ſed genus medium poteſt eſſe admodum diverſum, prout plures paucioreſve modos ex rebus rejecerimus.

§. 166. Logici etiam dividunt Genera in *Genus Proximum* & *Remotum*. In genere proximo pauciores modi ſunt omiſſi, hinc hominis proximum genus eſt quod ſit animal. In genere remoto plures modi omiſſi ſunt, & ideo Hominis genus remotum eſt, quod ſit ſubſtantia vel Ens.

§. 167. Olim a Logicis diſceptatum fuit, *an Genus ſalvari poſſit in unica ſpecie?* Id affirmaverunt, qui ſufficere opinabantur, ut Univerſale poſſit ineſſe multis, quamvis hæc multa actu

non existant, modo esse possint: uti unus quidem modo Sol existit, sed non repugnat, quin plures sint, hinc Genus Solium esse posset: verum si plura esse nequeant, idea Generis perit, hinc cum unus modo esse possit Deus, unum spatium, horum idea Generis formari nequit, & ideo non semper genus in unica specie salvari potest.

§. 168. *Species* est idea universalis formata iterum ex modis iis, in quibus individua conveniunt, veluti Paulus, Cajus, Titius, conveniunt in eo ut sint Jureconsulti, vel Eruditi, vel nati in eadem regione, vel ejusdem religionis, vel donati mente rationali & corpore, unde formatur idea quædam universalis Jurisperitorum, Eruditorum, Civium, Fratrum, Hominis.

Est proinde idea speciei eadem ac idea Generis, sed generis infimi; saltem speciei idea est idea generis, sed alicujus inferioris, respectu generis superioris: hinc animal est species respectu Entis: Homo est species respectu animalis. Mas est species respectu hominis.

Adeoque ex specie differentiæ numericæ individuorum modo absunt.

§. 169. Id commune quod est in Individuis, & ad quod attendimus, potest valde differre, unde species orientur diversæ: v. gr. cum attendo ad Paulum, Cajum, Titium, quatenus instruuntur mente & corpore, formo ideam speciei, quod sint Homines. 2°. Deinde attendam ad eosdem, sed quatenus multos vixerunt annos, &

spe-

ſpeciei formata inde idea eſt ſenum. 3°. Attendo ad eoſdem, quatenus plurimos autores evolverint & examinaverint, ac multa volumina conſcripſerint, & ſpeciei idea inde formata eſt Eruditorum. 4°. Attendo ad eos, quatenus fidem amplectuntur in S. S. traditam, & idea ſpeciei de iis eſt nunc Chriſtianorum. 5°. Attendo ad colorem eorum, qui in vultu reliquoque corpore eſt albus, & ad regionem in qua vivunt, ſpeciei idea inde formata eſt Europæorum. 6°. Attendo ad eorum virtutem, mores, doctrinam, & ſpeciei idea inde formata erit piorum. 7. Attendo ad eoſdem, quatenus progenuerunt filios, & idea ſpeciei inde formata eſt, quod ſint patres. 8. Attendo ad eoſdem, quatenus duxerunt uxores, & ſpeciei idea eſt, quod ſint mariti.

§. 170. Qui igitur ſpeciem quandam formare ſtudet, attendat ad plura individua, examinet eorum modos vel prædicata, notet communia, ſecernat differentias, comprehendendo communia ſpeciem formabit.

§. 171. Omnia individua, quibus illa communia inſunt, quæ ut quandam ſpeciem forment, volumus, ſunt hac ratione res ejuſdem ſpeciei: ſimili modo ſpecies, quibus communia ſunt omnia, quæ adſcripſimus alicui generi, ſunt res ejuſdem generis.

§. 172. *Differentia Specifica*, eſt quod in ſpeciebus ſingulare eſt, & ſpeciem a ſpecie diſtinguit: hujus idea eſt *Tertium univerſale*. Ita ſunt

ſpe-

ſpecies mas & fæmina: differentia ſpecifica conſiſtit in quibuſdam organis.

§. 173. Nonnunquam plura ſimul concurrunt, quæ ſpeciem a ſpecie diſtinguunt, ſed tum illud attributum, quod clariſſime aut præcipue diſtinguit ſpeciem à ſpecie, differentiam ſpecificam conſtituit. Ita Afri & Europæi ſunt ſpecies: diſtinguuntur hæ craſſitudine labiorum, naſo, capillis, colore cutis: ſed cum clariſſime color diverſus cutis in oculos incurrat, nigredo erit differentia ſpecifica inter Æthyopem & Europæum.

§. 174. *Proprium* eſt *Quartum univerſale*, & vocatur Attributum ſimile in pluribus individuis, quod tamen non eſſentialiter toti ſpeciei competit, adeo ut ſine hoc ſpecies concipi poſſit, v. gr. Triangulum rectangulum rectilineum ab aliis Triangulis rectilineis diſcrepat hac differentia ſpecifica, quod unus angulus ei ſit rectus: ex hoc recto trianguli angulo fluit, Quadratum hypotenuſæ eſſe æquale duobus reliquorum laterum quadratis; id nunc eſt *Proprium*, non enim competit toti ſpeciei Triangulorum, ſed omnibus & ſolis Triangulis rectangulis, adeoque eſt ſimile pluribus individuis, cum tamen non ſit commune omnibus.

§. 175. Proprium diſtinguitur in quatuor ſpecies, ſive modos. *Proprium primi modi* competit *ſoli, ſed non omni*. Sive affirmari poteſt de ſolis individuis ſpeciei, ſed non de omnibus: ſic ſoli homini convenit Philoſophari, non tamen

omnes

omnes homines ſunt philoſophi.

§. 176. *Proprium ſecundi modi* convenit *omni, ſed non ſoli*. Ita omne extenſum poteſt concipi in partes dividi, verum diviſio in partes non ſoli extenſioni competit, cum & tempus & numerus in partes dividi poſſint: convenit omni circulo, Quadrata ordinatarum eſſe in proportione cum rectangulis ſub ſegmentis: ſed id convenit etiam Ellipſi.

§. 177. *Proprium tertii modi* competit *omni, ſoli, ſed non ſemper*. Ita omnes homines, & ſoli homines ratiocinantur, uſi ſermone, non tamen ſemper ratiocinantur.

§. 178. *Proprium quarti modi* convenit *omni, ſoli*, & *ſemper*. Sic omni, ſoli, & ſemper Triangulo rectilineo convenit habere tres angulos æquales duobus rectis: Circulo convenit omni, ſoli, & ſemper a centro ad peripheriam habere rectas lineas æquales: Homini viventi omni, ſoli, & ſemper convenit, habere mentem rationalem cum corpore conjunctam.

§. 179. *Accidens* eſt quintum univerſale, eſt talis modus, qui ſalva ſpecie abeſſe aut adeſſe rei poteſt: uti *Eruditio in homine*: *Calor*, *pelluciditas in corpore*. Accidens univerſalibus adnumeratur, quia cum profertur vox *Eruditio*, hæc refertur ad plurimos homines, & quidem ad omnes, qui animum ſcientiis expoliverunt: veluti *calidum* ad omnia corpora calentia pertinet.

§. 180. Accidens autem, quamvis ſit ſubſtan-

tiæ

tiæ modus, poteſt tamen eſſe vera ſubſtantia; adeo ut tum duæ ſimul ſint ſubſtantiæ, ſed quarum illa, quæ accedit, ut prioris modus conſideratur: veluti *calidum in corpore*. Calidum enim illud eſt verus ignis; adeoque ſubſtantia a corpore, quod ipſum recepit, diverſa: ita *homo veſtitus* poteſt conſiderari tanquam quid compoſitum ex homine & veſtibus, veſtitum eſſe tamen reſpectu hominis ejus quendam modum indicat.

§. 181. Accidens quoque dividitur in *Separabile*, & *Inſeparabile*. Separabile naturaliter tolli poteſt, veluti frigus ex corpore; febris tertiana ab ægroto. Inſeparabile a ſubjecto ſuo immediato, ſive proximo, tolli naturaliter nequit, veluti cicatrix ex corpore animali; monoculus non fieri poteſt binoculus: nec nigredo tolli poteſt ex Æthyope.

§. 182. In his univerſalibus difficultates latent nonnullæ, quia enim tam pauca hucuſque novimus de rebus univerſi; ab individuis ad ſpecies diverſas ſimpliciſſimas, ab his ad altiores ſpecies, & quidem per omnes tranſeundo uſque ad genera ſine ulla omiſſione adſcendere non licet: præterea quia res diverſæ multa communia inter ſe habere poſſunt, prout tandem quædam communia collegimus, ſpecies conſtituere poterimus diverſas, unde numerus ſpecierum poteſt in immenſum adſcendere, quarum cognitio majoris oneris erit, quam utilitatem adferet: Inſuper difficultas naſci poteſt, quando res quæ-

dam

dam ex una ſpecie in alteram tranſit, quonam tempore & ſtatu tranſire dicetur: Nam homo eſt ſpecies animalis: monſtrum quoque eſt ſpecies animalis; ſit jam formoſiſſimus Narciſſus, qui peſſimis incipiat variolis confluentibus corripi & decumbere, hæ faciem longis ſulcis profundiſque foveis deturpent, occæcent exeſis oculis, naſi pinnis eroſis, colore inducto rufo, variegato: Narciſſus, qui antea homo, nunc monſtrum appelletur: rogo quo temporis puncto, quove mutationis ſtatu, ſpecie hominis relicta, ad ſpeciem monſtri tranſierit; cum mutatio vultus lento gradu proceſſerit? Si Tabula a tyrone picta inter ſpecies difformium numeretur, peritus Apelles hinc inde vitia corrigat, tranſit tabula e ſpecie difformium in ſpeciem pulchrarum, ſed quando ex una in alteram ſpeciem tranſiiſſe dici poteſt?

§. 183. Determinatio etiam *Proprii* non eſt ſatis diſtincta, nam Proprium primi modi poteſt pro Differentia ſpecifica haberi, quod enim convenit *ſoli* eſt differentia ab omni alio: cum conveniat ſoli homini philoſophari, & philoſophari diſtinguat doctos ab indoctis, patet hoc proprium, & differentiam ſpecificam non differre: imo Philoſophari ad Accidentia referri poſſet, cum homo poſſit non philoſophari.

§. 184. *Ideæ Abſolutæ* appellantur, quæ rem unam, non attendendo ad aliam, vel quæ rem ſimplicem, nullam connexionem cum alia re-

præ-

præsentantem, nullamque relationem cum alia habentem repræsentant: veluti est idea Pauli, Dei, Rhinocerotis, Puncti, Coloris rubri.

§. 185. *Ideæ Relativæ* exibent aliquid mutuæ rationis; aliquid convenientiæ vel discrepantiæ, vel connexionem quandam, cum inter se comparantur: Res enim, quæ in hoc universo simul existunt, sunt aliarum respectu certo modo, hoc est sunt similes vel dissimiles, aliæ aliis majores minoresve, æquales aut inæquales: vel aliæ ab aliis oriuntur, hæ ab illis dependent &c. perceptiones ex hujusmodi comparationibus oriundæ, sunt perceptiones Relationum.

§. 186. Relationes hujusmodi non sunt aliquid, quod tanquam Ens actu existit, sed sunt tantum notiones, sive ideæ ab animo nostro formatæ occasione alterius ideæ, qua cum comparantur: idcirco inutiliter extra animum harum idearum prototypon quæreretur; formantur enim occasione comparationum: nam in ipsa re seorsum sumpta, nihil cognoscitur vel invenitur, quod spectat relationem.

§. 187. Verba, quæ ideas comparatas exprimunt, vocantur *Termini correlati*, quales sunt Pater & Filius: Gigas & Pygmæus: Calidum & Frigidum: Rex & Subditus.

§. 188. Plurimæ diversæque hujusmodi sunt relationes, & veluti sunt quatuor idearum genera, nempe Substantiarum, Modorum, Substantiarum cum modis, & Relationum, ita quoque

que Relationes horum quatuor formari possunt. Nam Deus creator est relatio inter duas substantias, quarum altera est Deus, altera Mundus. Inter modos est asperum & læve: Humanum & barbarum: magnum & parvum.

Inter modum & substantiam est Ferrum calidum.

§. 189. Relatio est inter relationes, cum intelligo Aquilam sua magnitudine magis superare Culicem, quam Bos superat Canem: in omni proportione locum habet relatio, & cum plurimæ res inter se comparantur.

§. 190. Relationes instituuntur inter ideas simul præsentes occasione rerum præsentium, vel inter ideas, quæ ambæ, vel quarum altera ex memoria tantum revocatur; in priori casu mens videt clarissime relationem, eique longe melius fidere poterit, quam in posterioribus casibus, in quibus valde sæpe aberrat a vero: uti patet in gustando Vino variis temporibus, & in diversis locis, quod licet ex eodem dolio promtum, differre videtur, sed simul comparatum cognoscitur idem: hoc quoque locum habet in magnitudine rerum visarum, in Tonis auditis, in Odoribus, & plurimis aliis occasionibus.

§. 191. Diximus supra voces adnecti ideis, atque unam vocem uni ideæ esse adnectendam: sed sæpius evenit, ut voci, præter ideam, adhuc aliam ideam adnectamus, quam vocare licet *Secundariam*, hæc non est ut in ambiguis;

sed

ſed eſt idea, quæ fluit ex priori, aut quam mens ſibi ſimul cum priori proponit, tanquam ei adnexam. Veluti ſi quis alteri dixerit, *Mentitus es*, quod notat, *veritatem non locutus es*. Sed præterea, animo maligno veritatem non es locutus.

§. 192. Hæ ideæ ſecundariæ excitantur vocis intentione, remiſſione, blanditie, oris aut corporis contorſione, geſtibus aliisve ſignis, quæ plurimas verbis ideas addunt, ſignificationes mutant, augent, minuunt, pro lubitu loquentis, & occaſione varia, qua proferuntur: hinc eadem verba ſunt contumelioſa vel blanda: alia ſunt nunc verecunda, nunc turpia: Si quis mortua uxore ſe dolere dicat, ſed ridenti vultu, indifferenti vultu, gemitu & lacrymis, alias ideas in auditore excitabit. Ideo etiam qui docet, aut orat, pro varia qua pollet eloquentia, magis minuſve auditorum animos commovebit, & alias in iis excitabit ideas, quam ſi auditores iidem tantum legiſſent conſcriptam eandem orationem.

CAPUT SECUNDUM.

De Judiciis & Propoſitionibus.

§. 193. QUando Mens duas ideas ſibi ſiſtit præſentes, easque comparat, conjungitque aut ſeparat, tum utitur judicio: adeoque *judicium* eſt duarum idea-

rum

rum comparatio, & perceptio relationis, quam inter se habent; nam post relationis perceptionem sequitur idearum conjunctio vel separatio.

§. 194. Inter Philosophos nata fuit controversia, utrum Judicium ad Intellectum, an ad Voluntatem pertineat: Sed non pertinere ad hanc patet, quia voluntas ea est animi facultas, qua ex variis judiciis vel ratiociniis præsentibus id eligit, quod sibi videtur optimum: cum in judicio tantum fiat perceptio relationis inter duas præsentes ideas, sive percipitur nexus inter duas ideas, circa quem nexum animus liber non est; hic proinde non fit electio, veluti in voluntate. 2. Voluntas præcedere solet judicium, uti cum volo cogitare de duobus metallis, ut judicem quodnam sit alicui machinæ convenientissimum. 3. Quando voluntatis determinatione cogitabimus de hac illave re, non agitur de judicio rem illam spectante: Ex quibus patet Judicium non pertinere ad Voluntatem, sed ad Intellectum.

§. 195. Quoniam in judicio duæ ideæ animo debent esse præsentes, patet judicium ferri non posse, quando rei idea nondum fuit formata; adeoque *de re ignota ferendum judicium non est.*

§. 196. Sed ut judicium verum bonumque sit, oportebit ut rei & prædicati veram animus formaverit ideam, & claram. Tum ut ideam ab omni parte examinet, antequam relationem inter hanc aliamque intercedere affirmet aut

neget: adeoque non festinanter, nec de rebus obscuris judicandum erit.

§. 197. Quia sæpe animus ideas rerum non existentium sibi fingit præsentes, quotiescunque relationem inter duas ideas percipit, cavere oportet, ne realem existentiam rerum, quas exhibent, inde concludamus.

§. 198. Quando Judicium exprimimus verbis, quæ ideis illis adnectere didicimus, oritur *Propositio*, *Effatum*, *Enunciatum*, vel *Pronunciatum*, ideo Judicium est proprie Propositio Mentalis, & Effatum est Propositio Verbalis, uti non male notavit Lockius.

§. 199. Propositiones Mentales & Verbales non, prout par erat, distinguuntur semper, cum difficulter seorsum tractari possunt, quoniam maxima hominum pars verba idearum loco concipiunt, cum judicabunt, aut de rebus ratiocinabuntur, in primis si rerum compositæ fuerint ideæ; veluti cum agitur de Gloria, virtute, pietate, eruditione: animus enim tum nominibus loco idearum utitur; quia ideæ sunt imperfectiores, confusiores, & magis indeterminatæ, quam verba; ideo hæc tanquam clariora & faciliora animus sibi repræsentat; & semper postea revocat, non amplius ad eorum ideas attendens; imo sunt multi homines, qui nunquam horum nominum ideas examinaverunt, de virtute, gloria, &c. non tamen adeo male judicantes.

§. 200.

§. 200. Si animo clara & distincta sit idea subjecti & prædicati, ut & relationis prædicati ad subjectum, sive nexus inter ea, vel separationis, tum clarum, & distinctum formare potest judicium.

§. 201. Si præterea animus perspiciat deinde rationem, ob quam prædicatum conveniat, vel non conveniat subjecto, judicium format adeo clarum & distinctum, ac potest, cui acquiescit tuto.

§. 202. Judicium est vel *Affirmativum*, vel *Negativum*: in Affirmativo animus percipit convenire relationem inter duas ideas: in Negativo percipit ideas inter se non convenire.

§. 203. Ideo propositiones etiam sunt *Affirmativæ* vel *Negativæ*. Cum vero animus relationem inter duas ideas non percipit, adeoque nec eas discrepare, nec convenire, suspendit Judicium, sive ab affirmando & negando abstinet, hoc est dubitat.

§. 204. Adeoque propositio affirmativa exprimit Judicium affirmativum: propositio negativa exprimit judicium negativum: veluti *Deus est ab æterno*. *Deus non est dependens*.

§. 205. Idea quæ affirmatur, aut negatur de altera, vocatur *Attributum* vel *Prædicatum propositionis*. De qua idea aliquid affirmatur, vel negatur, vocatur *Subjectum*. Ex. gr. *Mundus est creatus*. *Mundus* hic est subjectum: *creatus* est prædicatum.

§. 206. Ideo quodcunque prædicatur de Subjecto, erit vel ejus attributum vel modus; sive semper subjecto inest, vel per accidens; veluti *Corpus est impenetrabile*; impenetrabilitas semper adest corpori; *Corpus est rotundum*; rotunditas per accidens inest corpori.

§. 207. Verba quibus subjectum & prædicatum propositionis exprimuntur, vocantur a Logicis *Termini*.

§. 208. Hi termini in propositione conjunguntur copulâ, quæ affirmationem aut negationem determinat, sive nexum inter subjectum & prædicatum ponit, vel tollit; exprimiturque ope verbi *Est*, vel *Non est*; uti *Homines sunt creati*: *Homines non sunt ab aeterno*.

§. 209. Plerumque animus judicaturus sibi proponit ideam rei sive Subjecti, & ideam prædicati vel modi, perpenditque utrum modu subjecto conveniat vel non: veluti *Tabula est rotunda*; *Tabula non est rotunda*; ubi rotundum esse, vel non rotundum esse, modus est.

§. 210. Proinde animus naturaliter primum cogitat de Subjecto, deinde de Prædicato, tandem de Copula. Non tamen terminos eo ordine semper ponit, quibus propositionem exprimit. Linguarum natura in hisce expressionibus differt; nihilominus propter hunc naturalem cogitandi ordinem aliqui cum Ramo Subjectum vocaverunt terminum antecedentem propositionis, & prædicatum consequentem.

§. 211.

§. 211. Nonnunquam tamen animus duas ideas substantiarum jungit, quarum altera tanquam alterius modus habetur: uti *Nubes est Vapor*; *Sol est ignis*; *Stella est corpus*: Hic vapor, ignis, corpus, sunt veræ substantiæ, sed quæ considerantur uti modi, & proinde sunt vera prædicata.

§. 212. Propositiones igitur sunt *Affirmativæ*, vel *Negativæ*. In propositionibus affirmativis asseritur prædicatum convenire subjecto: ad id autem necesse non est, ut ambo se exhauriant sive in omnibus conveniant: sed sufficit ut aliqua convenientia, sive communis mensura iis insit: uti si dixerim *Furtum est peccatum*, convenientia amborum est transgressio Legis, quæ est communis mensura; verum non in omnibus conveniunt, cum omne peccatum non sit furtum.

§. 213. In propositionibus *Negativis* prædicatum a subjecto separatur: uti *Lapis non cogitat*: in his propositionibus negativis, ut unum dicatur *non esse* alterum, non necesse est, ut nulla iis sit communis mensura, seu nihil sit, in quo conveniant; sed saltem ut id, in quo conveniunt, non exhauriat prædicatum, quamvis conceptum subjecti interdum exhaurire possit: uti *Animal non est lapis*: conveniunt in eo, quod ambo sunt corpora, creata, finita, dependentia &c. verum non conveniunt, quia alterum potestate se ad lubitum movendi est præditum, alterum non: hoc est corpus organicum, alte-

rum non: quæ sufficiunt, ut unum negetur de altero: adeoque necesse est, ut idea totalis prædicati non reperiatur in subjecto, licet ejus partes quædam subjecto conveniant.

§. 214. In propositionibus negativis plerumque inveniuntur particulæ *non*, *minime*, *haud*, *nequaquam*, sed & adhibentur nomina, & verba, quæ implicite has particulas continent, & proinde discrepantiam subjecti a prædicato notant: qualia verba sunt *discrepare*, *dissentire*, *alienum esse*, *difforme*, *dissonum*, *innocuum*, *impigrum*: nam notant non convenire, non conforme, non consonum esse, non nocens, non iners.

§. 215. Quia omnes propositiones constant ex Subjecto & Prædicato, quod copulâ nectitur vel separatur, in qualibet propositione tria erunt, duo termini, quorum unus subjectum, alter prædicatum, tertium copulam continebit: veluti *Titius est Jureconsultus*.

§. 216. Quamvis in plurimis propositionibus vel leviter attendenti appareat, quis terminus sit subjectum, quis prædicatum, dantur tamen propositiones, in quibus ambigui sunt termini, uter prædicatum, an subjectum sit, quod ex sensu præcedentium vel sequentium tamen plerumque erui potest: uti *Animal est homo*, *Lignum est Statua*, Ambiguitas oritur, quia ab ordine cogitandi aliquando subjectum vel prædicatum pendet: cogitare enim prius possumus de subjecto, deinde de prædicato; aut

or-

ordine contrario: Si ergo fluctuemus, nescii quid subjectum, quid prædicatum sit: attendamus quodnam nomen notet genus altius altero, vel quodnam sit genus, quæ species; tum semper species erit subjectum, genus erit prædicatum; proinde in exemplis, Homo est species, Animal genus. Statua species, Lignum est genus.

§. 217. Sed dantur propositiones indifferentes, in quibus sumi pars pro subjecto, vel pro prædicato ad lubitum potest: veluti *Soli Deo gloria*. Hic subjectum potest esse utrumque, vel Deus vel gloria. Deus est, quia de eo affirmatur, ipsi soli deberi gloriam: gloria est subjectum, quia de hac affirmatur, quod competat soli Deo: sed utrumlibet sumatur pro subjecto, erit id alterum pars prædicati.

§. 218. Termini sunt *Simplices* vel *Complexi*. *Simplices* exprimuntur una voce, uti *Tabula*, *Domus*. *Complexi* exprimuntur plurimis vocibus, uti *Princeps Philosophorum*; *Dierum longissimus*. *Maximum corpus Systematis planetarii*.

§. 219. Propositiones sunt *Completæ*, vel *Incompletæ*. *Completæ* constant ex subjecto, copula, & prædicato, uti *Mundus est creatus*. *Incompletæ* tacite unum alterumve terminum in se includunt, qui non exprimitur, veluti *Cajus studet*. *Fuimus Troes*: quod idem est ac, *Cajus est studens*. *Nos fuimus Troes*. Interdum una vox integram propositionem efficit, uti *Veni*,

vidi, *vici*, quod indicat, Ego fui veniens, Ego fui videns, Ego fui vincens: Adeoque vel latet subjectum, vel copula, vel copula & prædicatum: Si enim rogatur, quis hoc facit: respondeatur *Ego:* latet copula & prædicatum, quia indicatur, *Ego sum faciens.* Quid in propositione omissum sit, facile animus sua sagacitate implet: brevitas Sermonis, quam naturaliter amamus, fecit, ut hujusmodi ellipses in propositionibus sint frequentes. Si errorem vel obscuritatem metuamus, omissa restitui possunt.

§. 220. Sunt propositiones *Simplices* vel *Compositæ*.

§. 221. Simplex propositio uno tantum subjecto & prædicato constat; sive fuerit affirmativa sive negativa: uti *Deus est aeternus*. *Homo non est ab aeterno*.

§. 222. Ut propositio sit simplex, non necesse est ut subjectum uno nomine exprimatur, quia propter nominum defectum aliquando res una pluribus vocibus est exprimenda: uti *Id, sine quo vita transigi non potest, est ad vitam necessarium:* Subjectum est: *Id sine quo vita transigi non potest*. Prædicatum est, *necessarium ad vitam*. *Sapientis non est dicere, non putabam*. Subjectum est, *dicere non putabam*; Prædicatum *non est sapientis*.

§. 223. Ad propositiones simplices referendæ sunt *Identicæ:* in quibus terminus affirmatur de se ipso, sive subjectum & prædicatum

uno

uno eodemque verbo aut termino exprimitur: uti *Homo est homo. Paulus est Paulus*. Sed hujusmodi propositiones sunt frivolæ & inanes, nihilque nos docent, licet sint veræ, nam ideas nostras non determinant ulterius, nec aliquid explicant.

§. 224. *Propositio reciproca* vocatur, cujus prædicatum æque late patet ac subjectum, adeo ut prædicatum pro subjecto capi possit, atque ita propositio converti: veluti *Spiritus est Ens intelligens: Ens intelligens est spiritus. Deus est spiritus infinitus; spiritus infinitus est Deus*.

§. 225. Propositio reciproca erit vera, si prædicatum sit proprium subjecti, eique tantum competat, si enim alteri quoque rei conveniret, non potest propositio reciproce sumta esse vera, veluti *Corpus est Ens creatum: Ens creatum est corpus*: non est hoc verum, quia creatum esse convenit aliis quoque rebus, præterquam corporibus.

§. 226. Dantur quoque *Propositiones vagæ*, quæ a nonnullis ex classe propositionum expunguntur, quales sunt *Interrogatoriæ*, *Imperatoriæ*, *Optativæ*, *Exclamatoriæ*, *Objurgatoriæ*; in quibus scopus loquentis non est, aliquid affirmare aut negare: proinde in se spectatæ nec sunt veræ, nec falsæ: uti *Sta Sol. Siste gradum viator. Quo tendis? Quid agis? Utinam valeas! O me futurum miserum!* An hæ propositiones in animo ejus, ad quem diriguntur, plus quam

sim-

ſimplicem apprehenſionem excitant? cum animus in nuda contemplatione idearum non ſubſiſtit, ſed inſuper determinatur ad reſpondendum, vel dicta facienda; minus autem quam judicium excitant, quia animus his auditis propoſitionibus, nec aliquid affirmat, aut negat.

§. 227. Sunt & propoſitiones *Simplices Complexæ*. In his terminus unus aut alter, vel uterque, complexus eſt: hoc eſt ſubjectum vel prædicatum, vel utrumque verbis complexis exprimitur.

§. 228. Quia ſubjectum & prædicatum conſtituunt materiam Propoſitionis, dicuntur propoſitiones *complexæ in materia*: veluti *Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus, Rem præſtas Zoile*; hic cadit complexio in ſubjectum: In prædicatum vero cadit complexio, *Pietas bonum eſt, beatum faciens etiam in rebus maxime adverſis*: In ſubjectum & prædicatum cadit complexio ſequenti in exemplo, *Corpus in ſyſtemate planetario maximum radios luminis quoquoverſus ex ſe diffundit*.

§. 229. Sunt propoſitiones quoque *Senſu complexæ*, in quibus tacite aliquid includitur, quod reticetur, cum ſupponitur ex more loquendi cognitum: veluti *Rex Galliæ, qui hoc tempore regnum Galliæ moderatur, bellum gerit*. *Herus hoc juſſit*, indicat, *Meus Herus, cui nunc ſervio, hoc juſſit*.

§. 230. Propoſitiones, quæ verba activa in ſe complectuntur, ſimili modo poſſunt haberi com-

ple-

plexæ: uti *Milo occidit Clodium*, notat *Milonem occidisse aliquem, qui appellatus erat Clodius*.

§. 231. Sunt & propositiones *Complexæ in Forma*, quando subjectum & prædicatum propositionis est simplex, nec ab adjecta forma mutatur, sed affirmatio aut negatio certo modo afficitur, limitatur, aut augetur: Formulæ quæ hujusmodi propositionibus adjiciuntur sunt, *judico, affirmo, statuo, nego, dico, volo, nolo, veto, ratio jubet, videtur, certum est* &c. simplex foret propositio, *Terra est rotunda*, sed complexa erit in forma sequens, *Mihi videtur terram esse rotundam; affirmo terram esse rotundam* &c.

§. 232. Propositiones *Modales* appellatæ fuerunt, quibus indicatur, quomodo prædicatum relationem habet ad subjectum: affirmatio vel negatio afficiebatur sequentibus formis, *Necesse est, Contingens est, Possibile, Impossibile est*: uti, *Necesse est ut homo sit Animal; Contingere potest ut homo sit Animal: Possibile est ut homo sit animal; Impossibile est ut homo non sit Animal*. Hæ propositiones quoque adverbialiter exprimuntur, uti, *Homo necessario est animal*. Verum omnia pene adjectiva & adverbia propositiones complexas certo modo reddere possunt, atque indicare, quomodo prædicatum conveniat vel non: uti *justum est parentes honorari, decorum est pro patria mori*.

§. 233. Propositiones etiam sunt complexæ, quæ secundam aliquam in se recipiunt, hæc ve-

ro appellatur *Incidens* . veluti *Alexander*, *qui fuit Philippi filius* , *Asiam subegit* . Principalis propositio est, *Alexander Asiam subegit* ; Incidens est, *qui fuit Philippi filius*.

§. 234. Propositiones incidentes sunt *Explicativæ*, vel *Determinativæ*.

§. 235. Explicativæ incidentes id explanant, quod in subjecto latebat; neque refert , an id semper coveniat, an sit tanquam accidens: modo illi generaliter & secundum integram extensionem conveniat. *Homo*, *qui est animal ratione præditum*, *cantare potest* : *Pentateuchum* , *quod quinque libros a Moyse conscriptos continet*, *est divinæ originis*.

§. 236. Determinativæ incidentes subjecti significationem restringunt, ita ut id non capiatur secundum totam suam latitudinem , sed tantum pro parte : *Homines* , *qui virtutem colunt* , *omni laude sunt digni* .

§. 237. Utrum propositio incidens sit explicativa, an determinativa, tantum ex sensu cognosci potest, quamobrem attendendum est ad verba, quæ præcedunt aut sequuntur propositiones hujusmodi complexas: nam possunt propositiones eædem incidentes esse Explicativæ, aut Determinativæ. v. gr. *Hippocrates*, *qui fuit Medicorum princeps* , *suo tempore excelluit*. Verba , *qui fuit Medicorum princeps* , sunt determinativa, quando attendebam ad Hippocratem Chium Mathematicum, nunc enim determino Hip-

po-

pocratem Medicum. Sed quando non cogitabam de alio Hippocrate, quam de Coö, verba *qui fuit Medicorum princeps*, ſunt Explicativa. & ideo ex ſimplici enunciatione propoſitionis, quæ Incidentem continet, determinari hic ſemper non poteſt, qualis ſit Incidens, ſed id ex aliunde cognitis eſt colligendum.

§. 238. Propoſitio complexa, in qua eſt incidens, eſt vera, quando tam propoſitio principalis, quam incidens, eſt vera: ſi autem alterutra ſit falſa, tota complexa eſt falſa: quia principalis propoſitio cum incidente conſideratur ut una. Vera eſt tota hæc, *Mens humana, quæ eſt ſpiritualis, eſt immortalis*. Sed ſi Incidens ſit vera, cum principalis ſit falſa, tota propoſitio eſt falſa: veluti hæc, *Alexander magnus, qui fuit filius Philippi, Americanos ſubegit*. Sit principalis vera, ſed incidens falſa, iterum eſt tota propoſitio falſa, veluti hæc: *Alexander, qui fuit filius Jovis, Perſas ſubegit*.

§. 239. Propoſitiones incidentes determinativæ raro ſunt falſæ, quoniam prædicatum propoſitionis incidentis non ſimpliciter affirmatur de ſubjecto, quod præcedit, ſed tantum id reſtringit: ideo fieri poteſt, ut in rerum natura id non obtineat, quod prædicatum incidentis de ſubjecto affirmat: ſed ſufficit, ſi obtinere poſſit, & ſi daretur, ut tum prædicatum propoſitionis principalis conveniat ſubjecto. v. g. *Judices qui nullis affectibus abrepti æqua lance omnia penſitant*,

omni

omni laude sunt digni. Forte hujusmodi judices nullibi dantur, attamen esse possent; si darentur, omni laude digni forent. Ideo falsitas incidentium propositionum plerumque hæret in Incidentibus explicativis.

§. 240. Aliquando dantur plures propositiones Incidentes simul in propositione principali, verum ejusmodi propositiones sunt inelegantes, & merito rejiciendæ: veluti *Julius Cæsar, qui fuit fortissimus Romanorum, qui magnam partem Terrarum orbis subegerunt, fuit coætaneus Ciceronis*.

§. 241. Contingit interdum, ut non satis manifestum sit, quænam Incidens, quænam principalis propositio sit; nisi id ex sensu præcedentium, vel sequentium eruatur: si enim dixero, *Omnes Philosophi affirmaverunt, Gravia ad centrum mundi ferri*. Duas habebimus propositiones, quarum altera est, *Omnes Philosophi affirmaverunt*, altera est, *gravia ad centrum mundi ferri*. Si igitur propositio principalis sit, *gravia ad centrum mundi ferri*, atque de eo egerim, tum incidens erit prima propositio. Verum si agatur, an *Omnes philosophi affirmaverint id*, an tantum aliqui, tum hæc est principalis propositio, quod proinde cognoscitur ex toto contextu præcedentis vel sequentis sermonis.

§. 242. Propositio *Universalis* est, cujus subjectum universaliter capitur, quantum potest, hoc est in tota sua latitudine vel extensione: adeo ut totum genus exhauriat, & plerumque

ad-

adduntur voces *Omne*, *Nullum*, *Quicquid*, *Universum*, *Nihil*, aut aliæ æquipollentes. Veluti *Omnes homines sunt peccatores*. *Quicquid cogitat est Spirituale*. *Nulli homines fuerunt ante Adamum*. *Nihil mere corporeum cogitat*. Proinde Universalitas propositionis pendet ab universalitate subjecti: prædicatum vero affirmatur vel negatur de omnibus individuis, quæ sunt in subjecto. Subjectum igitur consideratur ut genus, quod comprehendit sub se species, & individua: ideo hujusmodi propositiones universales constituunt Sermonis compendium, quo singula individua uno nomine complectimur: hoc modo propositiones formamus simplices, quæ alioquin forent compositæ: nam simplex est propositio, *Omnes homines sunt peccatores*: sed composita foret, si individua enumerassem: uti *Titius*, *Cajus*, *Paulus &c. sunt peccatores*.

§. 243. *Singulares propositiones* continent unum subjectum, vel individuum & singulare: uti *Aristoteles fuit præceptor Alexandri Magni*.

§. 244. Non necesse est in singulari propositione, ut modo unum sit subjectum, possunt inesse plura, sed quæ omnia considerantur uti unitas, vel unum individuum: sic *Populus Romanus potentissimus fuit*. In qua singulari propositione populus Romanus consideratur ut unitas, vel una res.

§. 245. Singulares propositiones aliquando determinantur ope pronominum *Hic*, *Ille*, *Ipse*, *Is*. uti

uti *Hic Milo Crotoniates est robustus. Ille est heros. Ipse dixi.*

§. 246. Propositiones singulares ad generales referri solent, quia veluti in Universalibus prædicata toti subjecto attribuuntur; ita quoque attribuuntur in singularibus. *Aristoteles fuit acutissimus.* prædicatum *acutissimus* toti Aristoteli tribuitur.

§. 247. *Particulares propositiones* continent subjectum minus late extensum quam in Universali propositione; latius tamen extensum quam in singulari: adeo ut subjectum non complectatur omnes species, vel omnia individua; sed tantum quædam. Subjectum igitur non est singulare, sed aliquid amplius; non est universale, sed aliquid minus: veluti *Aliqui homines sapiunt.*

§. 248. Voces *Aliqui*, *nonnulli*, *multi*, *plurimi*, *non pauci*. *Fere omnes*, *Utplurimum*, *pars*, *major pars*, *minor pars* &c. hisce propositionibus præfigi solent: quæ restringunt subjectum ad partem indeterminatam suæ extensionis: hinc ideæ terminorum has propositiones constituentium semper sunt vagæ, quæ in propositionibus universalibus & singularibus sunt determinatæ.

§. 249. Quia propositiones particulares sunt minus generales universalibus, continebuntur in universalibus, nam *aliqui homines* continentur in *omnibus hominibus*.

§. 250. Propositiones sunt *Determinatæ*, vel *Indeter-*

determinatæ. *Determinatæ* ſive *Finitæ* dictæ ſunt, in quibus ſubjectum totum eſt determinatum, ſive id fuerit ſingulare, vel univerſale; hoc eſt, in quibus ſignum quantitatis eſt expreſſum. uti *Hic Alexander fuit Macedo*. *Omnes homines ſunt mortales*.

§. 251. *Indeterminatæ* ſive *Infinitæ*, vel & *Indefinitæ* ſunt, quæ ſingulares non ſunt, & omni expreſſa univerſalitatis, vel particularitatis nota carent: ſive in quibus ſignum quantitatis non eſt expreſſum. uti, *Homines ſunt creati*. vel *homo eſt creatus*. quæ propoſitio non eſt ſingularis, cum non de re una, ſed de toto genere hominum legatur; neque adſunt voces, quæ partem aliquam hominum, vel omnes omnino homines exprimant.

§. 252. Propoſitiones Indeterminatæ aliquando ſunt particulares, aliquando univerſales: veluti cum Iſocrates vocabat *Perſas homines indolis corruptiſsimæ*: aut cum *Britanni* dicuntur *optimi Mathematici*. tum propoſitiones ſunt particulares. Quando autem dicitur *Corpora non ſunt ab æterno*. *Virtutes ſunt æſtimandæ*, tum ſunt propoſitiones univerſales.

§. 253. Quotieſcunque occurrunt propoſitiones Indeterminatæ, ſemper ad ſenſum autoris attendere oportet, tum ad linguarum genium & uſum loquendi, priuſquam judicemus, utrum propoſitiones univerſales, an particulares ſint: homines enim univerſalia judicia ſæpiſsime, non

raro tamen judicia particularia, plus minusve late patentia propositionibus indefinitis exprimere solent. Si propositio indeterminata latissimo sensu sumta manifestam absurditatem complecteretur, sive si prędicati relatio non competat toti subjecto, universalissime sumto, concludere licet propositionem esse particularem; veluti cum dicuntur fuisse *Pharisæi clementes in pœnis. Flandri optimi pictores*. Absurdum foret clementiam in pœnis asserere de omnibus Pharisæis, vel peritiam pingendi omnibus inesse Flandris; adeoque hæ propositiones erunt particulares. Si vero propositio determinata non contineat in se manifestam absurditatem universaliter sumta, & prædicatum convenire possit toti subjecto; oportebit attendere ad sensum autoris, vel ejus loquendi consuetudinem, & an hyperbolis uti fuerit assuetus.

§. 254. Sed & considerare oportet in hisce Indeterminatis, an prædicatum spectet naturam subjecti, sive proprietatem semper inhærentem, an vero accidens aliquod: si spectet proprietatem inseparabilem, erit propositio universalis, uti *animi humani facultate cogitandi sunt præditi*. Indicat *Omnes animos humanos*. Si vero spectet prædicatum accidentia, potest propositio esse particularis, uti. *Homines sunt docti*. Hinc evenit, ut nonnullæ propositiones infinitæ, in rigore sumtæ, non sint veræ; veluti hæc *Eruditi sunt sapientes*.

§. 255.

§. 255. Cum omnes propositiones Universales ejusdem extensionis vel latitudinis non sunt, Logici quintuplicem universalitatem posuerunt. 1°. *Absolutam.* 2°. *Physicam.* 3°. *Moralem.* 4°. *Generum.* 5°. *Speciei.*

§. 256. *Universalitas absoluta*, quæ & *Metaphysica*, & *Mathematica* appellatur, nullam patitur exceptionem: estque *Universalitas perfecta, & quæ aliter esse nequit*: sunt hujusmodi propositiones æque affirmativæ ac negativæ. uti *Omne triangulum habet tres angulos. Nulla corpora cogitant.*

§. 257. *Universalitas Physica*, cum propositio naturaliter est universalis & vera, sed pati potest exceptiones, quando casus sunt præternaturales, & proinde rarissimi: veluti *Omnes homines sunt dotati duobus brachiis, duobus pedibus, duobus oculis. Omnes homines sunt mares vel fœminæ. Nulli homines a nativitate surdi sermocinari cum aliis possunt.*

§. 258. *Universalitas moralis* est, cum propositio ex usu linguæ & moris universalibus vocibus hyperbolice pronunciatur, cum tamen particularis tantum sit, & sensum arctiorem verbis complectatur, denominatione a plurimis casibus desumta: veluti in Epist. ad Philipp. Cap. 2. *Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ sunt Jesu Christi.* hic vox *omnes* eadem est ac *plerique, plurimi, maxima pars.* & in Evang. Joan. Cap. 3. *Testimonium ejus nemo admisit.* nemo hoc est pau-

pauci. Pari pacto alii scriptores per *omnes* intellexerunt multos. uti *Omnes adolescentes sunt bilares.* hoc est *plerique* vel *multi*. Hujusmodi propositiones, quoad individua non sunt necessario veræ, adeoque ex iis conclusiones particulares tantum poterunt elici & cum cautela.

§. 259. *Universalitas generum* dicitur, quando propositio de generibus singulorum universaliter pronunciatur, quæ non de singulis generum est accipienda: veluti *Omnia animalia in Arca Noachi sunt conservata*. Christus objiciebat Pharisæis, *decimatis omne olus*. Paulus in Epist. ad Corinth. Cap. 15. *Christus in se suscepit omnes languores. Omnibus functus est honoribus.*

§. 260. *Universalitas speciei* est, quando subjectum ad certam speciem cum quadam conditione restringitur. uti, *Sunt omnes homines justi per gratiam Jesu Christi. Omnes per Jesum Christum vivificantur.*

§. 261. Universalitas, Singularitas, Particularitas, vocatur a Logicis *Propositionum Quantitas.*

§. 262. Quantitas hæc est maxima in universali propositione. Media in particulari. Minima in singulari.

§. 263. Huc usque de propositionibus Simplicibus egimus, jam de Compositis agendum erit. *Propositio composita* appellatur, quæ constat ex pluribus Subjectis & uno prædicato, vel ex uno subjecto & pluribus prædicatis, vel ex pluribus subjectis & prædicatis simul: veluti *Mercu-*

curius & Venus sunt planetæ Soli proximi. Pius amat, colit, & veneratur Deum. Angeli & homines sunt creati a Deo & dependentes.

§. 264. Propositionum compositarum sunt sex species. 1°. *Copulativæ.* 2°. *Disjunctivæ.* 3°. *Conditionales.* 4°. *Causales.* 5°. *Relativæ.* 6°. *Discretivæ.*

§. 265. In *Copulativis propositionibus* plura Subjecta, vel plura Prædicata, vel multa subjecta & Prædicata simul conjunctione copulativa *&*, *nec*, conjunguntur: adeoque sunt affirmativæ & negativæ: sed si negativæ fuerint, plerumque tum propositio a negatione incipit. uti *Demosthenes & Cicero fuerunt Oratorum disertissimi. Sperat infaustis, metuit secundis alteram sortem bene præparatum pectus. Non domus, aut fundus, non æris acervus & auri ægroto domino deduxit corpore febres, non animo curas.*

§. 266. Pendet veritas propositionis copulativæ a veritate omnium partium simul, sive ut omnes propositiones simplices, in quas resolvi potest, sint veræ: quarum si una vera non sit, tota propositio est falsa. Vera hæc est. *Mors & vita humana pendet a Deo.* utraque enim pars est vera. Sed falsa hæc est *Sol & Luna sunt vera Luminaria.* quamvis enim Sol sit verum Luminare, Luna id non est.

§. 267. Refutari potest propositio copulativa variis modis: vel negando alterutrum subjectum convenire prædicato: vel negando ambo

sub-

subjecta convenire prædicato: vel restringendo alterutrum aut utrumque subjectum: uti *Bona & mala, veritas & error proveniunt a Deo*. concedentur tria priora subjecta convenire prædicato, negabitur de *errore*. *Mercurius & Venus proprio lumine splendent*. negatur de utroque subjecto prædicatum. *Scorta & homicidæ etiam intrabunt in regnum cœlorum*: distinguo, non qui scortantur & homines occidunt, salvabuntur, sed qui olim scortabantur, & postea mores suos correxerunt, vera acti pœnitentia.

§. 268. Disjunctivæ propositiones sunt, in quibus plura subjecta vel prædicata connectuntur particulis disjunctivis *Aut*, *vel*, *sive*, &c. veluti *Aut amat, aut odit mulier. Vel Rex, vel Magistratus, aut Subditi sunt laudandi. Homines vel utilitate, vel metu, vel ambitione, vel virtute, vel officio ducuntur*.

§. 269. Adeoque disjunctivæ propositiones componuntur ex pluribus membris, quorum quodlibet aliquid ab altero diversum ponit: hæc membra sunt multa subjecta connexa uni prædicato; vel plura prædicata connexa uni subjecto; in his tamen non determinatur, quodnam subjectum prædicato, vel quodnam prædicatum subjecto competit.

§. 270. Aliquando membra sunt directe sibi opposita, sive quorum unum involvit negationem alterius, sive unum ponit, quod alterum tollit, uti *Vel Sol movetur circa Terram, vel Ter-*

ra circa Solem. Vel lux est corpus, vel non est.

§. 271. Ut propositiones Disjunctivæ sint bonæ & veræ, necesse est, ut omnia enumerentur membra, quæ dari possunt, & convenire subjecto vel prædicato: vel ut vera membrorum detur oppositio, quæ tertium non admittat. Si autem omnia membra enumerata non fuerint, propositiones disjunctivæ sunt imperfectæ, & non valent; quia fieri potest ut inter enumerata membra nullum habeat illam relationem ad Subjectum, quam debebat habere: Nam scopus est harum propositionum, plerumque unum affirmare membrum, reliqua tollere; si igitur omnia membra non adfuerint, affirmato uno tolluntur simul omissa, quæ interdum tollenda non erant: adeoque non valent hæ propositiones, *Diana vel est alba, vel nigra*, cum possit esse flava, rufa, fusca &c. *Ædes sunt novæ, vel veteres*. possunt enim esse intermediæ alicujus ætatis, *Cœlum est serenum, vel atrum*. cum possit esse subnubilum, nubilum, nebulosum &c.

§. 272 Raro cum prædicata sunt comparativa, terminorum duorum vera oppositio datur, etiamsi hæc prima fronte appareat, quoniam varii gradus intermedii intercedere possunt: uti *Cajus est peritus jureconsultus, vel imperitus*. Possunt esse varii gradus intermedii inter peritiam & imperitiam. *Aer æstuat, vel friget*. ideo etiam non valet, cum inter frigus & æstum varii gradus teporis & caloris in aere intercedere possunt.

§. 273. Refutantur proinde propositiones disjunctivæ, quando ostendi potest, omnia membra non esse enumerata, & quænam omissa sint afferantur: in his autem frequentissime peccatur, nam ad perfectam partium enumerationem perfecta rerum, de quibus agitur, requiritur cognitio.

§. 274. *Conditionales propositiones* proponunt aliquid sub certa conditione restrictum, adeo ut nequaquam principalis propositio, quæ est consequentia, universaliter adstruatur: præfiguntur autem conditionali propositioni particulæ *Si*, *nisi*: veluti *Si Deus est, mundus regitur providentia. Nisi Sol luceat, dies non erit.*

§. 275. Conditionalium probitas pendet a necessario nexu consequentiæ cum antecedente conditionali; si enim necessarius nexus non fuerit, aut impossibilis, non valent hæ propositiones: ob bonum nexum inter antecedentem & consequentem hæc valet, *Si homines habent mentem Spiritualem, sunt Entia composita ex duabus diversis substantiis.* verum sequens non valebit ob nexum nullum; *Si Sol lucet, Cajus est bonus Jureconsultus. Nisi existat Aqua, non dabuntur Cometæ.*

§. 276. Necessarius nexus deprehenditur inter ambos terminos, vel propositiones, si posita una, ponatur simul altera: vel una contineat rationem alterius: veluti *Si Sol sit elevatus supra horizontem, est dies. Si Atmosphæra sit gravis, premit omnia corpora, quibus incumbit.*

§. 277. Hæ conditionales possunt duplici modo

do

do esse falsæ, vel enim terminus antecedens est falsus, & consequens bene adnexus; uti *Si animalia ratiocinentur, instructa sunt anima intelligenti*. vel Antecedens & consequens terminus simul est falsus, quatenus male adnexus; uti *Si animæ sunt corporeæ, non sunt creatæ*.

§. 278. Potest tamen fieri ut terminus antecedens sit falsus, & consequens verus: quando in antecedenti plura continentur, quam sunt in ipsa re; antecedens autem contineat in se consequentem, qui est in ipsa re: uti *Si animalia bene ratiocinentur, prædita sunt anima intelligenti*. falsum quidem est animalia bene ratiocinari; licet verum sit animalia prædita esse intellectu, ratiocinari autem supponit intellectum, & facultatem comparandi & connectendi judicia, quæ ultima animalibus non insunt.

§. 279. Ideo ut examinentur propositiones conditionales, capiatur æque terminus antecedens seorsum, ac consequens: attende an antecedens sit verus: deinde an consequens cum eo bene cohærescat: Si antecedens sit falsus, propositio tota est mala, vel inutilis: Si consequens non cohærescat necessario nexu cum antecedente, etiam mala est propositio: hinc refutantur hæ conditionales, negato nexu inter antecedentem & consequentem.

§. 280. *Causales propositiones* componuntur ex duabus, quarum altera alterius causam complectitur; conjunguntur inter se particulis causalibus

bus *Quia*, *Quoniam* &c. *Corpora cadunt, quia sunt gravia. Timetur Deus, quoniam justus & sanctus est.*

§. 281. Ut causales propositiones probæ sint, oportet ut altera veram causam alterius contineat, non enim valet, si vera causa allata non sit: uti *Rex fuit infelix, quia tali sidere natus.*

§. 282. Ideo contradicitur iis propositionibus, ostendendo allatam causam non esse veram.

§. 283. *Relativæ propositiones* aliquam comparationem aut relationem habere censentur, quo nexu inter se conjunguntur: veluti *Qualis princeps, talis subditus. Ubi thesaurus, ibi cor. Tanti es, quantum habes.*

§. 284. Hæ propositiones non sunt necessario veræ, sed tantum plerumque, ideo nec stringunt, nec convincunt: & melius conveniunt Oratoribus & Poetis, quam Philosophis, aut scientiis, in quibus major severitas ratiocinii desideratur.

§. 285. *Discretivæ propositiones* varia continent judicia, quæ particulis adversativis *Sed, Tamen,* inter se conjunguntur, veluti *Non formosus est, sed difformis. Licet sit probus, tamen est avarus.*

§. 286. Hæ propositiones probæ & veræ sunt, si inter illarum membra vel vera, vel apparens saltem fuerit oppositio; sive si ambo membra simul subsistere possint: Oppositio autem vera vel apparens inter membra ejusdem naturæ tantum datur, sed non, cum fuerint diversæ: ejusdem naturæ sunt in his, *Non est disertus, sed blæsus. Non est grave, sed leve.* In his autem oppo-

sitio

sitio non datur. *Solum non est siccum, sed valde calet*. quales non valent, cum inter se non cohærent membra, sive ejusdem naturæ non sunt.

§. 287. Præter propositiones in §. 264. memoratas, quæ manifesto sunt compositæ, dantur aliæ, non ita verbis quam sensu compositæ. Quia harum compositio est occultior, & ideo propter obscuritatem, & ambiguitatem expositione egent; proinde in plures propositiones sunt resolvendæ: Hæ vocantur *Exponibiles*. Hujusmodi sunt 1. Exclusivæ. 2. Exceptivæ. 3. Comparativæ. 4. Inceptivæ. 5. Desitivæ. 6. Continuativæ. 7. Intermissivæ. 8. Adventivæ. 9. Præteritivæ. 10. Præsentativæ. 11. Restrictivæ.

§. 288. In *Exclusivis propositionibus* prædicatum soli subjecto convenire affirmatur, veluti, *Quas dederis solas semper habebis opes*. *Sola est nobilitas virtus*. Hæ propositiones duo judicia in se includunt, ideo sunt compositæ, sed tantum tacite hæc in se continent, veluti in Exemplis sensus est. *Quas dederis opes semper habebis, & præter eas habebis nullas*, itidem *Virtus est nobilitas & præter virtutem non datur nobilitas*. Adeoque hujusmodi propositiones constarent altero membro affirmativo, altero negativo: sive relationem ideæ uni membro affirmant, quam alteri denegant.

§. 289. Formantur Exclusivæ propositiones ope particularum exclusivarum *Solus*, *Solummodo*, *Dumtaxat*, *Tantum* &c.

§. 290.

§. 290. Sed ſunt Excluſivæ interdum affirmativæ, & non negativæ, tum vero non ſunt compoſitæ, ſed ſimplices, veluti *Deus tantum eſt Spiritus*. Nam poni nequit hæc propoſitio, Deus eſt Spiritus, & præter Deum non datur alius Spiritus: ſed ſignificat, nihil in Deo eſſe præter Subſtantiam Spiritualem. hinc ad ſenſum probe attendendum eſt in hiſce propoſitionibus.

§. 291. Difficultates in propoſitionibus Excluſivis ſunt ortæ, quia homines univerſaliter loqui amant, dum tamen exemplum, vel pauca quædam contraria animadvertunt: hinc vel exemplum retinent, vel eo adducto oppoſitum univerſale eſſe voluerunt.

§. 292. Hinc in Excluſivis excluduntur omnia inferiora ſub idea rei contenta, non autem omnia abſque diſcrimine, quæ ad rem non pertinent.

§. 293. Ut igitur hæ obſcuræ propoſitiones fiant claræ, reſolvendæ ſunt in propoſitiones componentes; harum qualibet clare intellecta, tota propoſitio excluſiva evadet clara.

§. 294. Refutare has propoſitiones §. 288. tribus poſſumus modis. 1°. Negando prædicatum, quod ſoli ſubjecto convenire dicitur, ei ullo modo convenire. 2°. Aſſerendo illud aliis rebus convenire. 3°. Utrumque aſſerendo. veluti 1°. *Non habebis opes quas aliis dederis.* 2°. *Quas acquiſiveris & retinueris opes, eas tantum habebis.* 3°. *Æque quas acquiſiveris, quam liberali manu dederis, habebis opes.*

§. 295.

§. 295. *Exceptivæ propositiones* sunt, in quibus aliquid de subjecto affirmatur, excipiendo aliquam ejus partem, proprietatem, aut aliquod ex subjectis inferioribus, quæ illi rei subsunt. uti *Avarus, nisi cum moritur, nihil recte facit. Nihil in corporibus, excepto oleo, ignem alit. Mens humana, excepta ratione, ab anima brutorum non differt: Omnia animalia, exceptis polypis, scissa in partes moriuntur*. Complectuntur hæ propositiones duo judicia, adeoque sunt compositæ nam Exemplum primum significat: Avarus durante vita nihil recte facit, sed cum avarus moritur, tum aliquid recte facit.

§. 296. Exceptivæ propositiones ab Exclusivis non differunt nisi phraseos discrimine, poteſtque una in alteram facile converti: uti *Avarus nisi cum moritur nihil recte facit.* vertetur in Exclusivam *Avarus solummodo moriens rectum facit.* Pari pacto *Imperitus, nisi quod ipse facit, nil rectum putat.* vertetur hoc modo: *Hoc tantum rectum, quod facit ipse, putat.*

§. 297. Has propositiones §. 296. totidem modis refutamus, ac Exclusivas.

§. 298. In *Comparativis* instituitur comparatio inter duas pluresve res, & relatio quædam in una re magis obtinere ponitur quam in altera: comparatio autem duo judicia continet, aliud enim est dicere hanc rem talem esse, sive quandam habere relationem, aliud eam magis vel minus talem esse respectu alterius, sive, majorem

jorem habere relationem; proinde hujusmodi propositiones sunt sensu compositæ: uti *Ridiculum acri fortius & melius magnas plerumque secat res.* hoc est ridiculum non modo secat res magnas, sed felicius eas secat, quam omnis acrimonia: *meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta oscula inimici.*

§. 299. Particulæ comparativæ solent esse *magis, plus, minus* &c. in multis linguis; verum Latini & Græci terminos positivos tantum immutarunt, saltem in pluribus occasionibus, quibus tamen idem indicant.

§. 300. Ergo in omni propositione comparativa requiruntur duo subjecta, quæ comparantur. 2°. Aliquid quod relativum est ad ambo, & in quo comparantur. 3°. Quod tamen plerumque in uno inæqualiter obtinet respectu alterius, sive magis minusve est in uno, quam in altero.

§. 301. Variis modis contra has propositiones insurgi potest. 1°. Negando meliora esse vulnera amici, & asserendo vulnera amici & oscula inimici esse æque mala. 2°. Asserendo oscula fraudulenta inimici esse meliora. 3°. Asserendo utraque esse bona, non mala.

§. 302. Quæsitum fuit, an in comparativis propositionibus terminus positivus debeat esse ejusdem naturæ ac comparativus; & hinc quando in comparativo est *melior*, positivus debeat esse *bonus*? & ubi comparativus est *pejor*, an positivus debeat esse *malus*? nequaquam hoc neces-

ſe eſt, quia dantur quædam comparationes impropriæ: ideo cum comparativus *melior* adhibetur, poſitivus poteſt eſſe *malus*: adeo ut *melior* ſignificet *malum minus*: ita *pejor* notat *minus bonum*. veluti *melius eſt habitare cum dracone, quam cum muliere maligna & rixante*: malum profecto eſt habitare cum dracone, ſed id malum minus eſt, quam vivere cum maligna & rixante uxore. *Camelus eſt minor Elephanto*, non indicat Camelum eſſe parvum animal, cum revera ſit magnum, ſed magnitudine cedit elephanto.

§. 303. *Inceptivæ propoſitiones* ſtatum antecedentem & præſentem ſubjecti indicant: veluti *Incipit Ver*. hoc eſt antea non fuit Ver, & nunc adeſt Ver. *Incipit ſtudere*. ſive antea non ſtuduit, & nunc ſtudet.

§. 304. Contradicimus his propoſitionibus modis ſequentibus. 1°. Negando illum antea non ſtuduiſſe. 2°. Illum quidem nec antea ſtuduiſſe, nec adhucdum ſtudere. 3°. Illum quidem antea ſtuduiſse, nunc vero non ſtudere.

§. 305. *Deſitivæ propoſitiones* etiam de ſtatu præterito & præſenti ſubjecti agunt: veluti *Deſinit tonare*, hoc eſt antea tonuit, & nunc non tonat.

§. 306. *Continuativæ* indicant perſeverantiam rei in eodem ſtatu, adeoque agunt de ſtatu præterito & præſenti, uti deſitivæ: veluti *Titius continuat ſtudia*. hoc eſt Titius antea ſtudiis dabat operam, & adhucdum pergit.

§. 307.

§. 307. *Intermissivæ* propositiones notant negotia interrupta, hoc est agunt de statu præterito & præsenti; uti *Pacis fœdera interrupta sunt*.

§. 308. *Adventivæ* statum instantem denotant diversum a præsenti : uti *Post mensem aderit solstitium*.

§. 309. *Præteritivæ* notant statum pristinum diversum a præsenti. uti *Fuimus Troes*.

§. 310. *Præsentativæ* notant statum præsentem simul cum recordatione antecedentis, uti *At nunc barbaria est grandis, habere nihil*.

§. 311. Hisce propositionibus ab §. 305. ad §. 311. pari modo contradicitur, ac supra in §. 304. dictum fuit. Observandum autem est, non esse omnibus propositionibus §. 287. contradicendum solâ negatione, & nihil aliud addendo, tum enim sensus negantis constare nequit, quia sunt duæ propositiones in his compositis, & simplici negatione potest intelligi, ac si negaretur tantum una, vel altera: veluti dicatur. *Solus Epicurus collocavit summum bonum in voluptate corporis*. Qui tantum hoc negat, non recte negat: quoniam potest opinari, Epicurum non fuisse solum in ea sententia, sed quoque alios Philosophos: vel potest opinari, Epicurum non collocasse summum bonum in voluptate corporis. Judex roget furem, *An solus furtum commisisti*? Si tantum neget: judex pergit, ergo quinam socii tibi fuerunt? adeoque respondendum fuerat, nec furtum commisi, nec sodales habui. *An*

judex

judex pergit vendere justitiam? respondendum, nec antea vendidit, nec nunc vendit.

§. 312. *Propositiones restrictivæ vel limitativæ* sunt, in quibus particulæ sensum universaliorem aliquo modo limitant, & indicant, quatenus prædicatum subjecto competit, vel non competit: particulæ restrictivæ sunt *quatenus*, *qua*, *in quantum*, *quoad*, *prout*, &c. *Corpus, quatenus est Ens compositum, potest dividi*, *Mens quatenus cogitat*, *operatur*.

§. 313. Hujusmodi propositiones constant ex tribus aliis, in quas sunt resolvendæ: nam *corpus, quatenus est Ens compositum, potest dividi*. Significat 1. Atomus, quæ est unitas corporea, non potest dividi. 2. Ens, quod constat ex junctis pluribus Entibus, potest dividi. 3. Corpus quod est compositum ex aliis corporibus potest dividi in componentia. Ita in altero exemplo notatur, 1. Mens non semper operatur. 2. Quicquid cogitat operatur: 3. Mens cogitans operatur.

Inter propositiones Exponibiles aliqui etiam numerant *Exhibitivas*: In quibus loco subjecti ponitur pronomen demonstrativum, significans vel exhibens rem continentem prædicatum aliquod: veluti si quis ostendat alteri Diploma Principis, in quo lautum munus alteri injungitur, hic vero dicat, *Hoc est mea vita.* vel ostensa bursa pecuniæ plena aliquis dixerit, *Hæc est pecunia*. Præter hæc genera propositionum sunt

in scientiis adhuc aliæ receptæ, quas breviter attingemus.

§. 314. Propositiones quarum veritas, terminis intellectis, illico patet, absque ulla requisita expositione, & quæ propter evidentiam assensum extorquent, vocantur *Axiomata*. Nonnulli hujusmodi propositiones appellant *Indemonstrabiles*, utpote quæ demonstratione non egent, veluti *Impossibile est idem simul esse & non esse*.

§. 315. Hujusmodi propositiones multas eruerunt Mathematici & Metaphysici, quibus tuto tanquam principiis suarum scientiarum utuntur.

§. 316. Quæ propositio constat terminis per se claris & intellectis, verum ut perficiatur praxin aliquam desiderat, vocatur a Mathematicis *Postulatum*.

§. 317. Quæ propositio rem quandam perficiendam, & deinde demonstrandam exigit, appellatur *Problema*.

§. 318. Quæ vero propositio veritatem inventam exigit demonstrandam, appellatur *Theorema*.

§. 319. Id quod fluit ex propositione sine nova demonstratione, appellatur *Corollarium*.

§. 320. Quæ propositio alieno ponitur loco, vel ex aliena disciplina desumitur, ad aliquid aliud obvium in suo loco demonstrandum, vocatur *Lemma*.

§. 321.

§. 321. *Propositiones æquipollentes* vocantur, quarum sensus est idem, licet verbis discrepent, quarumque una alteri substitui potest. veluti *Solem ambit Oceanus igneus*. *Ignis ab omni parte circa Solem est circumfusus*.

§. 322. Sunt propositiones *Affirmativæ* vel *Negativæ*, uti vidimus in §. 203. Pendent hæ sæpe a verbis diversis, quibus exprimuntur, unde idem potest esse sensus propositionis, quæ vel formam affirmantem vel negantem habet: veluti *Planeta Venus superat Terram*. est propositio affirmativa. *Terra sua mole non adæquat Venerem*. est propositio negativa; utraque tamen ejusdem significationis: *Veterum Ethnicorum virtutes ab iis Christianorum multum absunt*. est affirmativa: *Veterum Ethnicorum virtutes nequaquam cum iis Christianorum conveniunt*, est negativa: adeoque propositiones affirmativæ transmutari in negativas; & negativæ in affirmativas sæpe possunt.

§. 323. Affirmatio vel negatio propositionis *Qualitas* a Logicis appellatur.

§. 324. In propositionibus affirmativis prædicatum sumitur in eadem latitudine ac subjectum: uti si dixerim, *Omnes homines sunt creati*: tum creatum esse sumitur in eadem latitudine ac homines, adeoque ad totum genus humanum refertur: Si autem propositionis subjectum particulariter fuerit sumtum, etiam prædicatum particulariter capitur, sed æque late

 ta-

tamen, ac subjectum: uti *Aliqui homines sunt sapientes; Aliqui homines sunt nigri*.

§. 325. Igitur propositionis affirmativæ prædicatum non sumitur semper in omni sua latitudine, quam habere posset; plerumque vero in majori capitur particulariter: si enim dixero, *Omnes homines sunt creati*. tum *creatum esse* non capitur in omni sua latitudine, quippe pertinet ad omnia corpora, & spiritus finitos hujus mundi: sed restringitur in allata propositione tantum ad homines; adeo ut hoc prædicatum in hac affirmativa propositione sit particulare.

§. 326. Sed sunt propositiones, in quibus prædicatum non latius patet, quam subjectum; id autem cum vulgo non fit, dicitur esse *per accidens*, quod ideo regulam præcedentem non evertit: propositiones hujusmodi converti possunt, & ideo vocantur *Reciprocæ*. Conversio in eo consistit, quod subjectum mutari possit in prædicatum, & prædicatum in subjectum, veritate utriusque propositionis manente salva; veluti *Omne Triangulum habet tantum tres angulos*: conversa est, *Quicquid habet tantum tres angulos, est Triangulum. Nullum brutum est rationale*, conversa est, *Nullum rationale est brutum*.

§. 327. Propositionibus, quæ converti possunt, attributum est aliquid illi subjecto proprium, & non commune alterius rei speciebus: si enim aliis rebus commune foret, converti

non

non possent propositiones sine restrictione: uti *Homo est animal risus capax*, reciproca est. *Animal risus capax est homo*, nam nulla animalia rident. *Omne corpus est grave: Omne grave est corpus.*

§. 328. Sed quotiescunque prædicatum propositionis potest esse majoris latitudinis, quam subjectum, propositio affirmativa converti nequit salva veritate: veluti *Omne ferrum est grave*: conversa non erit vera, *Quicquid est grave, est ferrum*.

§. 329. Adeoque in propositione affirmativa restringitur prædicati extensio ab extensione subjecti; ita ut tantum illam partem suæ extensionis significet, quæ subjecto convenit: uti *Homines sunt animalia*. in qua propositione animalis nomen non significat omnia animalia, sed tantum illa, quæ sunt homines.

§. 330. Ideo omnes propositiones affirmativæ converti possunt, si prædicato, quod est majoris latitudinis, notam quandam restrictionis adjiciamus, sive propositionem ex universali faciamus particularem. *Omnes homines sunt animalia*. Conversa est. *Quædam animalia sunt homines*. Hinc bene observatum fuit a Logicis, in conversione speciem non fieri posse attributum generis, nisi generi limitatio addatur. *Justitia est virtus*, reciproca est. *Aliqua virtus est justitia*. Simili modo in quibus propositionibus universalibus differentia prædicatur de specie, fieri non potest conversio, nisi addita nota par-

ticularitatis: uti *Omnis polypus aquatilis secari potest in partes & manere vivus*. Conversa est, *Aliquid quod potuit secari in partes & manere vivum, est polypus aquatilis*.

§. 331. Omnes propositiones particulares affirmativæ converti possunt, quia prædicato nota particularitatis in conversione apponitur: veluti *Aliqua animalia sunt homines*. *Aliqui homines sunt animalia*.

§. 332. In propositione negativa prædicatum sumitur universaliter, sive in tota sua latitudine, in qua negatur convenire subjecto: veluti *Animus humanus non est corporeus*. Adeoque quicquid spectat ulla corpora, eorumque proprietates, ex quonam genere fuerint, hic negatur competere animo humano.

§. 333. Omnes propositiones universales negativæ converti possunt: quia tam subjectum quam prædicatum æque universaliter sumitur: veluti *Nullum corpus cogitat*. Conversa est, *Nihil, quod cogitat, est corpus*.

§. 334. Nulla propositio affirmativa potest converti in negativam, nec negativa in affirmativam: ex eo enim quod duarum rerum ideæ tum quoad se totas, vel quoad partem, inter se conveniunt, non sequitur illas secundum se totas, vel secundum partem non convenire.

§. 335. Ex hisce ab §. 324. ad 334. aliquot conclusiones colligere poterimus.

§. 336. Propositio universalis negativa sola est,

eſt, cujus ambo termini ſunt univerſales: Veluti *Nulla lux eſt nigra.* æque hic agitur de omni luce, ac de omni nigredine.

§. 337. Propoſitio particularis negativa tantum habet unum terminum univerſalem, qui nempe continet prædicatum negativum.

§. 338. Propoſitio univerſalis affirmativa ſi converti nequit, unum modo terminum univerſalem habet; nempe ſubjectum: ſed ſi converti poteſt, tum æque univerſale eſt prædicatum, ac ſubjectum.

§. 339. Propoſitio particularis affirmativa terminos particulares habet.

§. 340. Propoſitio affirmativa, cujus unus terminus eſt univerſalis, eſt univerſalis. Nam ſubjectum modo poteſt eſſe univerſale, ut terminus ſit univerſalis, quia prædicatum in affirmativa propoſitione nunquam capitur latius quam ſubjectum, ergo hoc non poteſt eſſe univerſale, ſi ſubjectum non ſit univerſale.

§. 341. Propoſitio negativa eſt particularis, cujus unus modo terminus eſt univerſalis.

§. 342. Propoſitionibus majuſculam quandam litteram præfigunt Logici, quæ utrum propoſitio ſit univerſalis, an particularis: tum an affirmativa, vel negativa indicat: quatuor elegerunt vocales A, E, I, O, harum,

A. Notat propoſitionem univerſalem affirmativam.

E. Univerſalem negativam.

I. Particularem affirmativam.
O. Particularem negativam.
Hæc sequenti versiculo continentur:
Asserit A, negat E, sed universaliter ambo,
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo:
Quemadmodum ex his exemplis patebit.
A. *Omnes homines componuntur ex mente & corpore.*
E. *Nulla opes reddunt possessores beatos.*
I. *Aliqui homines excolunt scientias.*
O. *Quædam corpora non sunt electrica.*

§. 343. Propositiones quarum idem est subjectum & prædicatum, variis modis sibi opponi possunt, adeo ut una contrarium statuat, quam altera; sive una affirmet, quod altera neget: veluti *Titius est justus*, opposita est, *Titius est injustus*. *Aliquod corpus est calidum*. Opposita est, *Aliquod corpus non est calidum*. Differre possunt propositiones cum quantitate, tum qualitate.

§. 344. Quæ propositiones qualitate differunt, & conveniunt quantitate, si universales sint, appellantur *Contrariæ*: uti *Omnes virtutes reddunt hominem laudabilem*: *Nullæ virtutes reddunt hominem laudabilem*. Hujusmodi propositiones nunquam simul veræ esse possunt; quia una ponit, quod altera tollit: Possunt tamen ambæ esse falsæ, quando prædicatum non universaliter subjecto competit, atque unius falsitas alterius veritatem non infert, uti *Omnes ho-*

homines sunt pii. Nulli homines sunt pii. Omnia corpora sunt calida. Nulla corpora sunt calida.

§. 345. Adeoque, a falsitate unius propositionis in contrariis non licet concludere ad veritatem alterius. Licet enim falsum sit omnia corpora esse calida, ideo verum non est, nulla corpora esse calida.

§. 346. Sed potius a veritate unius propositionis licet concludere de falsitate alterius. veluti *Omnes virtutes reddunt hominem honorandum.* quod cum verum sit, ideo oppositum non erit falsum: *Virtutes non reddunt hominem honorandum.*

§. 347. Quando autem propositiones singulares sunt, etiamsi hæ pro universalibus habeantur, huic varietati subjiciuntur, ut ambæ simul falsæ esse nequeant: sed si una sit vera, altera est falsa: uti *Titius est formosus. Titius non est formosus. Alexander fuit fortis; Alexander non fuit fortis.* Si enim prædicatum conveniat subjecto, non potest dici non convenire: & si non conveniat subjecto, non potest asseri, convenire.

§. 348. Si propositiones particulares sunt, quæ conveniunt quantitate, sed differunt qualitate, vocantur *Subcontrariæ:* veluti *Aliqua Lex est bona. Aliqua lex non est bona.* Possunt hujusmodi propositiones ambæ simul esse veræ, quia prædicatum potest convenire alicui particulari subjecto, & non convenire alteri particulari subje-

ecto,

cto, veluti hic sunt *Aliqua lex*: Hinc si una propositio ex Subcontrariis sit vera, non potest opposita dici falsa; quia qui negat oppositam, ponit primam, quam posuimus esse veram: Sit enim verum, *Aliquis homo est doctus.* qui jam diceret oppositam esse falsam, qualis esset, *Aliquis homo non est doctus.* hæc negata foret, *Aliquis homo est doctus.* quæ est propositio prima. Si accurate examinemus propositiones has Subcontrarias, non semper sunt sibi oppositæ: nam aliqua lex est justa, aliqua lex est injusta, non indicat eandem legem esse justam & injustam, sed leges diversas ita esse comparatas: oppositæ modo sunt, cum de iisdem objectis est sermo. Non autem Subcontrariæ possunt simul esse falsæ: nam si una sit falsa, opposita erit vera: si falsum sit prædicatum convenire subjecto, verum est prædicatum non convenire subjecto: igitur si sit falsum aliquam legem esse justam, verum erit aliquam legem esse justam: ideo a falsitate unius ad veritatem alterius in Subcontrariis concludere licebit.

§. 349. Contrariarum & Subcontrariarum una vera, altera falsa est, cum vel de specie prædicatur genus, differentia, proprium secundi vel quarti modi, vel accidens quoddam inseparabile de subjecto; vel etiam quando opposita de se invicem prædicantur, *Illarum* utraque falsa, *Harum* utraque vera est, quando species prædicatur de genere.

§. 350. Si utraque duarum propositionum contrariarum est falsa, necessario utraque subcontrariarum est vera, & vicissim, servato eodem propositionis subjecto & prædicato, uti *Omnes homines sunt pii : Nulli homines sunt pii.* sint contrariæ : jam erunt subcontrariæ : *Aliqui homines sunt pii : Aliqui homines non sunt pii.*

§. 351. Sed si alterutra contrariarum est vera, necessario una subcontrariarum erit vera, & altera falsa. uti *Omnia animalia se pro lubitu naturaliter movent : Nulla animalia se pro lubitu naturaliter movent*. Subcontraria erit : *Aliquod animal naturaliter se pro lubitu movet : Aliquod animal se pro lubitu naturaliter non movet*. Nam particularis veritas continetur in universali; & particularis falsitas etiam in particulari falsitate continetur.

§. 352. Si propositiones tum quantitate, tum qualitate opponuntur, appellantur *Contradictoriæ:* veluti *Omnes sunt creati. Aliqui homines non sunt creati. Nulla Societas absque legibus subsistere potest. Aliqua Societas absque legibus subsistere potest.*

§. 353. Hujusmodi propositiones nunquam simul possunt esse veræ, vel falsæ : sed si altera sit vera, altera erit falsa. Si enim universalis vel affirmativa vel negativa sit vera, particularis negativa vel affirmativa necessario est falsa : Sed si universalis affirmativa vel negativa sit falsa, particularis negativa vel affirmativa

tiva

tiva erit vera. Si falsum sit, *Omnes homines esse doctos.* verum est, *Aliquos homines non esse doctos.* si falsum est, *Nullum hominem esse creatum.* verum est, *Aliquem hominem esse creatum.*

§. 354. Si propositiones tantummodo quantitate differant, & qualitate conveniant, appellantur *Subalternæ*: veluti *Omnes virtutes sunt æstimandæ. Quædam virtus est æstimanda. Nulli improbi sunt beati. Aliquis improbus non est beatus.*

§. 355. In his subalternis non datur vera oppositio, quia propositiones universales in se complectuntur particulares: proinde si universales sint veræ, etiam particulares veræ erunt.

Possunt tamen universales esse falsæ, cum particulares sint veræ; quia quædam proprietates quibusdam subjectis convenire possunt, quæ tamen non conveniunt omnibus: veluti *Omnes homines sunt docti*, quod falsum, cum verum sit, *Aliquos homines esse doctos. Omnes homines aliis non nocent.* quod falsum, cum sit verum, *Aliquos homines aliis non nocere.* Si autem particulares sint falsæ, necesse est ut Universales etiam sint falsæ, quia hæ complectuntur particulares.

CAPUT TERTIUM.

De Ratiocinio.

§. 356. Logica est ars destinata ad propositiones, cum a nobis, tum ab aliis assertas, probandas, aut rejiciendas; ut igitur as-

assensum extorqueamus ab aliis, utimur argumentis vel ratiociniis, quæ propositionibus probandis vel rejiciendis inserviunt: argumenta invenire, & rite disponere docet Logica, uti in hoc capite ostendetur: ideo hæc pars merito præcipua prædicatur.

§. 357. Propositio, quæ asseritur, & cujus veritas aut falsitas est probanda, appellatur *Quæstio*. Si enim dixero, *Terra est rotunda*, alter vero hoc rejecerit, mihi incumbit probare propositionem: adeoque est hæc revera quædam quæstio.

§. 358. Quando ideæ repræsentantes subjectum & prædicatum immediate inter se conferri possunt, & claræ ac simplices sunt, patet illico propositio per se, nec alio apparatu opus est; uti si dixero, *Totum est majus sua parte*. *Si æqualibus æqualia addidero, tota sunt æqualia.* Nemo est qui veritatem assertorum immediate non intelligat absque ullius alterius rei adminiculo.

§. 359. Sed sæpe in quæstione nec extemplo, nec clare liquet, utrum prædicatum cum subjecto conveniat, vel non conveniat, quia subjectum non est res simplex, aut non rite cognitum, nec circumstantiæ concurrentes satis bene perspectæ: tum aliquod tertium, magis cognitum, est inveniendum, quocum subjectum & prædicatum propositionis comparetur, ut facta comparatione appareat, an cum hoc

ter-

tertio conveniat ſubjectum & prædicatum, & proinde an hæc inter ſe conveniant: Igitur formanda eſt propoſitio, quæ Quæſtionis ſubjectum & illud tertium contineat: tum altera, in qua quæſtionis prædicatum & illud tertium ſit, ex quibus binis tandem fluat propoſita Quæſtio. uti cum dixero *Terra eſt rotunda.* hoc per ſe non patet: ideo inveſtigo tertium aliquod notius; nempe *Quodcunque illuſtratum variis modis umbram poſt ſe projicit in aliud corpus ſemper rotundam; id rotundum eſt. Sed Terra a Sole vario modo illuſtrata rotundam ſemper umbram poſt ſe in Lunam projicit*, Ergo *Terra eſt rotunda.*

§. 360. Hujuſmodi catena trium rite diſpoſitarum propoſitionum vocatur *Ratiocinatio*, *Argumentatio*, *Syllogiſmus*, *Collectio*, *Diſcurſus*, *Judicium dianoëticum*.

§. 361. Differt Ratiocinatio igitur a Judicio, nam in judicio tantum duæ ideæ comparantur, in ratiocinio autem duo judicia, vel ſi hæc verbis exprimantur, duæ propoſitiones, ex quibus colligitur tertia, adeoque ratiocinatio eſt judicium compoſitum, vel ſublimius, quod poteſt verbis exprimi.

§. 362. Cum in omni ratiocinio, naturaliter ab hominibus inſtituto, propoſitiones eo ordine non diſponuntur, ac in Syllogiſmo, diſtingui ſolet hic ab illo, tanquam aliquid ſtrictius a latiori, vel uti ſpeciale a generaliori: omnis enim Syllogiſmus eſt quidem ratiocinatio,

tio,

tio; cum omnis ratiocinatio non sit Syllogismus.

§. 363. *Syllogismus* igitur est ratiocinatio, in qua ex duabus propositionibus præmissis, relationem inter se habentibus, & legitimo ordine positis, necessaria *conclusio* colligitur.

§. 364. Illud tertium vero quod invocatur, ut ostendatur nexus inter subjectum & prædicatum quæstionis, appellatur *Terminus Medius*, vel *medium* quia poni potest loco medio inter subjectum & prædicatum, veluti *Omnis homo est animal. Omne animal est creatum. Ergo omnis homo est creatus.* Sed cum propositiones frequentius alio ordine ponuntur, medium hoc non invenitur in loco syllogismi medio; nihilominus ambas quæstionis partes vinculi instar intermedii connectit.

§. 365. Prædicatum conclusionis appellatur *Terminus major*, vel *Extremum majus*. Propositio autem quæ hunc terminum continet, ideo appellatur *Propositio major*, non quia primo ordine in Syllogismo ponitur, sed quia prædicatum Conclusionis est latioris extensionis, quam subjectum; ideo propositio continens hoc prædicatum universalior evadit.

§. 366. Subjectum conclusionis appellatur *Terminus minor*, vel *Extremum minus*. Propositio hunc terminum recipiens ideo *Propositio minor* fuit dicta: nam subjectum conclusionis non tam late patet, quam prædicatum.

§. 367. Vocabulum *Terminus* non hic ita sumi-

sumitur, ac si tantum una voce constare deberet, hoc quidem aliquando ita se habet, non vero semper, quia dantur termini complexi, pluribus compositi vocibus, licet unam rem modo significantibus. Tres igitur termini ingrediuntur Syllogismum, Major, Minor & Medius, veluti tres Propositiones etiam Syllogismum constituunt. Quælibet tamen propositio constabit duobus terminis, quorum unus constituit Subjectum propositionis, alter ejus prædicatum.

§. 368. Propositiones ambæ §. 365, 366, quæ Quæstionem sive Conclusionem præcedent, *Antecedentes* & *Præmissæ* appellantur: quarum *Major*, quæ plerumque est prima, per excellentiam vocatur *Propositio*, quoniam plerumque est Effatum universale, & veluti basis totius ratiocinationis. Secunda sive Minor vocatur etiam *Assumtio*, quia quasi in subsidium assumitur ad inferendam tertiam.

§. 369. Tertia propositio Syllogismi vocatur *Conclusio*, quod sit veluti totius ratiocinationis clausula: vel quia ex præmissis propositionibus colligitur, aut quia infertur, dicta fuit *Illatio*, & quidem vi illativarum particularum *Ergo*, *Ideo*, *Igitur*, *Quare &c.* Etiam *Complexio* appellatur, quia duas notiones, postquam cum tertia sunt comparatæ, complectitur: Vocatur etiam *Consequens*, quia ex antecedentibus sequitur.

§. 370.

§. 370. Tria in præmissis propositionibus, quæ constituunt materiam Syllogismi, requiruntur: 1. *Ut sint vera*: si enim falsæ sint, veritas ex illis non necessario fluit, proinde conclusio semper erit suspecta: potest autem per accidens colligi propositio vera ex duabus falsis præmissis. *Quodcunque inter animalia excellit ratione est maximi corporis; Sed Elephas inter animalia excellit ratione. Ergo Elephas est maximi corporis.*

§. 371. Præterea ex falsa propositione quandoque elicitur vera, cum propositionis falsæ, in initio assumtæ, elicitur contradictoria, quæ est vera. Ita Euclides Libro 9. prop. 12. ex eo, quod E dicatur non metiri ipsum A, directa & legitima sequela infert, Ergo E metitur ipsum A. Sic Theodosius Lib. I. prop. 12. sphæric. ex eo quod G dicatur non esse centrum sphæræ, evidenti sequela deducit, Ergo G est sphæræ centrum. Qui demonstrandi modus est mirabilis & peringeniosus, cum ex contradictorio assertionis assertio ipsa directa demonstratione infertur. Quod autem æque convincat ac alii modi, sic Cl. Jacob. Bernoullius vol. I. pag. 230. demonstravit. Adversarius contradictoriam assertionis meæ aut falsam putat esse, aut veram: Si concedat esse falsam, eo ipso assertionem meam veram esse agnoscere debet. Si contra putet esse veram, oportet ut omne id, quod exinde legitima infero consequentia, adeoque (per hypothesin) ipsam meam assertionem quoque

veram agnoſcat, & conſequenter ut utrumque contradictorium fateatur eſſe verum, quod cum ſit abſurdum, evidenter ſequitur, contradictoriam aſſertionis meæ, ex qua fluit hoc abſurdum, falſam eſſe, adeoque aſſertionem ipſam, quæ illata fuerat, veram.

§. 372. Unde formari poſſet hoc paradoxon: Ex falſo nonnunquam ſequitur verum, & tamen ſemper abſurdum.

§. 373. Requiritur etiam, *Ut præmiſſæ cognoſcantur veræ*, tam a probante, quam ab eo, quocum ratiocinamur: cognoſcuntur autem veræ, quando ſunt adeo claræ & evidentes, ut illis *aſſenſum præbeamus*.

§. 374. Requiritur, quando præmiſſæ cognoſcuntur veræ, ut ſyllogiſmi concluſio legitime inferatur, hoc eſt, ut comparatio medii cum terminis concluſionis relationem mutuam demonſtret: quod pertinet ad argumenti Formam.

§. 375. Talis demonſtratio vocatur *a priori*, quando vel altera præmiſſarum, vel ambæ præmiſſæ generales ſunt.

§. 376. Sed a *poſteriori*, cum præmiſſæ ſunt ſingulares, vel earum altera particularis.

§. 377. Syllogiſmi dividuntur in *Simplices*, *Conjunctos* ſive *Conjunctivos*, & *Compoſitos*.

§. 378. Simplices conſtant tantum ex tribus propoſitionibus, & terminus medius alterutri quæſtionis termino in unaquaque præmiſſarum adjungitur: uti *Quicunque cogitat exiſtit*, *Ego cogito*, *Ergo ego exiſto*.

§. 379.

§. 379. Ut syllogismus sit simplex, non necesse est, ut constet ex propositionibus simplicibus, cum constare ex compositis possit; sed ita appellatur, quando tantum ex tribus efficitur propositionibus; hinc sequens est simplex. *Cibus & potus sunt ejusmodi res, sine quibus vita animalis transigi non potest: Ejusmodi autem res sine quibus vita animalis transigi non potest, sunt expetendæ: Ergo cibus & potus sunt res expetendæ.*

§. 380. In Syllogismis *Conjunctis* sive *Conjunctivis* terminus medius cum integra quæstione majorem propositionem ingreditur; uti *si Philosophi aliqui tantum nitantur rixare, & scientiam propriis inventis non promovent, sunt nullius assis; sed aliqui philosophi tantum nituntur rixare,* & *scientiam propriis inventis non promovent; Ergo aliqui philosophi sunt nullius assis.*

§. 381. Syllogismi compositi pluribus præmissis propositionibus quam duabus constant: in his plura desiderantur *Media* ad demonstrandam relationem duarum idearum, quæ proponebantur, ideo plura simplicia ratiocinia erant conjungenda; sive aliquot propositiones præmittendæ: velim probare Cives optimos & de Republica optime meritos, ut Patriæ Patres venerandos esse, sic argumentabor.

Optimi Cives Reipublicæ bonum suo proprio anteponunt.

Qui bonum Reipublicæ suo proprio anteponit, is est Reipublicæ valde utilis.

Qui utilis est Reipublicæ summo est honore a suis concivibus prosequendus.

Qui tali honore est prosequendus, is est ut Pater Patriæ venerandus,

Optimi ergo Cives ut Patres Patriæ sunt venerãdi.

De Syllogismis compositis, eorumque variis generibus plura inferius dicemus. Redeamus ad simplices, eorumque varietates percurramus.

§. 382. Syllogismi simplices sunt *Incomplexi*, vel *Complexi*.

Incomplexi sunt mere simplices, §. 379. constantes tentum ex tribus terminis, tribusque propositionibus simplicibus: quarum una continet conclusionis prædicatum & terminum medium: altera subjectum & medium: tertia conclusionem ex subjecto & prædicato: veluti *Bonus princeps a subditis diligitur: Omnis Rex pius est bonus princeps: Ergo Omnis Rex pius a subditis diligitur.*

§. 383. *Complexi* sunt syllogismi, in quibus conclusionis complexæ, sive ex terminis complexis constantis, subjectum vel prædicatum secundum partem tantum in præmissarum altera cum medio termino connectitur, veluti *Asserunt nostræ tempestatis sapientes, scientiam, quæ incertis fundamentis nititur esse lubricam: Sed scientia, quæ hypothesibus superstruitur, nititur incertis fundamentis: Ergo asserunt nostræ tempestatis sapientes, scientiam, quæ hypothesibus superstruitur, esse lubricam.* Complexio hic efficitur a ter-

mino,

mino, *Asserunt nostræ tempestatis sapientes.* hic tamen non est considerandus ut terminus quartus, qui ratiocinium ingreditur, cum abesse penitus possit, salvo ratiocinio, verum ei vim quandam addit, & constituit etiam sermonis aliquod compendium.

§. 384. Logici examinantes ratiocinia tam bona, quam falsa, notaverunt quid in bonis, quid in falsis inveniretur, atque ita condiderunt Canones universales, qui in probis syllogismis observandi sunt, hos igitur expedire par est.

§. 385. *Reg.* I. *Syllogismus simplex ex tribus tantum terminis constare debet.*

Nempe 1°. ex subjecto conclusionis: 2°. Ex prædicato conclusionis. 3°. Ex termino medio, cum subjectum, tum prædicatum conjungente. Adeoque Syllogismum bis ingreditur Subjectum, bis Prædicatum, bis Medium.

§. 386. Sed & constare etiam modo debet ex tribus propositionibus, quarum una subject um conclusionis & medium, altera prædicatū conclusionis & mediū; tertia conclusionem ipsam continet.

§. 387. Quotiescumque igitur Syllogismus simplex quatuor complectatur terminos, vitiosus erit: quia quartus terminus nec potest esse vinculum subjecti & prædicati, cum id sit medium, nec junctum cum medio aliquid præstabit, quia nec hoc, nec quartus terminus ingreditur conclusionem, adeoque abundat terminus quartus, & expungendus ex Syllogismo

 erit.

erit. Veluti, *Quodcunque Deus vetuit omittendum est. Deus vetuit injustitiam, & jussit justitiam. Ergo injustitia omittenda est.* Abundat hic terminus *jussit justitiam*, adeoque eliminandus erit.

§. 388. Manifesto Syllogismus complectitur quatuor terminos, quando constat ex quatuor propositionibus, proinde una propositio abundabit, & eliminanda erit, ut tantum tres supersint, in quibus tres modo sint termini.

§. 389. Nonnunquam tantum tres sunt propositiones, quæ tamen quatuor terminos concludunt; cum nempe idem terminus duabus diversis significationibus, aut latius in una, strictius in altera propositione sumitur; aut nunc in Abstracto, dein in Concreto: diversæ significationes in hac sunt propositione, *Quodcunque bonos habet oculos, videre potest: Sed hæc arbos hoc Vere bonos habet oculos. Ergo hæc arbos hoc Vere videre potest.* Termini sunt quatuor. 1°. *oculi* nempe animalis. 2°. videre. 3°. arbos. 4°. *oculi*, arboris nempe. Significatio nunc est latior, nunc strictior in hoc exemplo. *Quod emi in macello hoc comedi: carnem crudam in macello emi: ergo carnem crudam comedi.* Termini etiam sunt quatuor. 1. *emi.* 2. *comedi.* 3°. *caro cruda.* 4°. *carnem crudam comedi.* Nam *hoc comedi* est latioris significationis, quam postea cum dicitur, carnem crudam comedi. Vel in hoc exemplo. *Omnis vulpes est animal rationis expers. Herodes Rex est vulpes. Ergo Herodes Rex est Animal rationis expers.* Capitur in la-

tiori significatione *Vulpes Animal.* in strictiori *Herodes Vulpes.* adeoque quatuor termini sunt. 1. vulpes. 2. animal rationis expers. 3. Herodes Rex. 4. vulpes notans hominem callidum.

§. 390. Nonnunquam Syllogismi vitium non adeo manifeste in oculos incurrit; quia occultius latet: conclusio autem bene ex prioribus collecta apparet prima fronte, sed simulac numerus terminorum supputatur, illico in eorum excessu vitium detegitur, cum quæ affirmativæ in una propositione ponuntur, in altera sunt negative posita: velut *Nullæ leges addiscunt scientias. Omnes jurisconsulti addiscunt leges. Ergo nulli jurisconsulti addiscunt scientias.* Termini quinque in hoc syllogismo insunt. 1°. nullæ leges. 2°. addiscunt scientias. 3°. omnes jurisconsulti. 4°. addiscunt leges. 5°. nulli jurisconsulti.

§. 391. Plures quoque sunt termini, cum vocabulum in una propositione rei attributum, in altera rem ipsam cum attributo notat: quod vitium tamen in oculos vel leviter attendenti incurrit: uti *Omnis clementia est virtus. Sed Titius est clementia. Ergo Titius est virtus.*

In majori propositione Clementia est attributum hominis in genere: in minori propositione Clementia pro homine singulari clemente ponitur: adeoque medius terminus non est idem in utraque propositione.

§. 392. Necesse etiam est, ut eadem Verborum tempora maneant, iis enim mutatis mutatur

propositionis sensus, & plures termini introducuntur: ideo non valet sequens syllogismus: *Quicquid sibi commissum lapsumque ad Terræ centrum veniret, foret grave. Sed nullum terrenum corpus sibi commissum lapsumque ad Terræ centrum venit. Ergo nullum corpus terrenum est grave.*

Termini 5. hic sunt 1°. Quicquid sibi commissum lapsumque ad Terræ centrum veniret. 2°. foret grave. 3°. nullum corpus terrenum. 4°. ad Terræ centrum venit. 5°. est grave.

§.393. Quotiescunque igitur proponitur Syllogismus, semper examinare oportebit, an non contineat plures quam tres terminos: tum an terminus major & minor eodem sensu in præmissis, quam in conclusione capiantur: deinde an idem sit medium in utraque præmissarum.

§.394. *Reg.* II. *Medium terminum bis particulariter capere non licet, sed ad minimum semel hic terminus universaliter capiendus est.*

Si terminus medius semel capiatur universaliter, capietur in altera propositione particulariter, verum universale concludit in se particulare, adeoque in qua propositione medium universale fuit, in ea conclusit particulare sub se; proinde est idem medium, quod particulariter in altera propositione est sumtum: Sed si Medium bis particulariter capiatur, fieri potest ut non sit idem Medium, quod unitur cum subjecto, & quod unitur in altera propositione cum prædicato Quæstionis, licet medium eadem vo-

ce exprimatur: tum vero termini quatuor forent in Syllogismo, & ideo non valeret per §. 385. *Quod est violentum, non est diuturnum. Omnis tyrannis est violenta*. Ergo *omnis tyrannis non est diuturna*. Terminus medius hic est *Violentum*. quod in majori capitur universaliter, sed in minori particulariter, adeoque Syllogismus bonus est: sed si dixero *Aliquis homo vivit: Aliqua planta est homo*. Terminus medius hic est *vivit*. qui eadem voce exprimitur, sed alia est vita hominis, alia est vita plantæ: proinde terminus medius non est idem in utraque propositione, & quatuor sunt termini in Syllogismo, qui ideo non valet: pari pacto non valet sequens. *Si sinenses sunt Mahumedani sunt infideles. Sed sunt infideles. Ergo sunt Mahumedani*. Terminus medius est *infideles*; verum & in prima & secunda propositione intelliguntur *aliqui infideles*. non enim sunt omnes infideles, adeoque medium bis particulariter sumitur, nec terminus medius est necessario idem.

§. 395. Sunt tamen exceptiones a regula hac, quando nempe medium in utraque propositione capitur eodem sensu: veluti *Fuit aliqua maxima statua ex Cupro. Fuit Colossus aliqua maxima Statua. Ergo fuit Colossus ex cupro*. Valebit hic Syllogismus, si constet medium, quod est *aliqua maxima statua*, esse idem: verum cum hujusmodi casus sunt rari, nec semper loquentis animum intelligere datur, præstabit ab hujusmo-

di argumentis abſtinere, & ſemper medium univerſaliter, ſaltem ſemel, capere.

§. 396. Quando medium bis univerſaliter capitur, manet in eodem ſenſu, adeoque tum eſt idem vinculum, quod inter prædicatum & ſubjectum intercedit, efficitque, ut Syllogiſmus rite ordinatus tum valeat. veluti, *Quicquid vivit eſt corpus organicum. Nullus lapis vivit. Ergo nullus lapis eſt corpus organicum*. In majori *quicquid vivit* eſt medium univerſaliter ſumtum, & in minori propoſitione negativa, *non vivit*, capitur etiam univerſaliter: adeoque medium bis in hoc Syllogiſmo eſt univerſaliter ſumtum, & proinde in eadem latitudine & eodem ſenſu, agiturque de eadem vita.

§. 397. *Reg.* III. *Medius terminus neque totus, nec pro parte concluſionem ingredi debet.*

Nam concluſio debet fluere ex præmiſſis, & ideo ab iis differre: Medius autem terminus cum ſubjecto unitus conſtituit minorem, cum prædicato unitus conſtituit majorem: non poterit igitur concluſio continere ſubjectum, prædicatum, & medium, quin contineat ambas præmiſſas, adeoque non fluit ex iis. veluti, *Qui pauperes odit, eſt inviſus Deo. Sed Cræſus odit pauperes. Ergo Cræſus qui odit pauperes, eſt inviſus Deo*. Sed abundat medium in concluſione, quia Concluſio eſt Quæſtio propoſita, ad quam probandam inveniebatur medium: ſi igitur hoc ingrederetur quæſtionem, non foret nunc eadem quæſtio ut ante, ſed mutata.

398.

§. 398. Quamvis autem terminum medium in conclusione ponere non liceat, potest tamen vox illa, qua terminus medius exprimitur, non uti medium, sed uti major vel minor terminus, legitime in ea proferri; ideo valet hic Syllogismus. *Quicquid est homo pertinet ad animal. Atqui hic homo est homo. Ergo hic homo pertinet ad animal.* In hoc argumento vox *homo*, qua medius terminus exprimebatur, in conclusione non ut medius ponitur, sed in quantum propositionem minorem constituit, veluti *hic homo* manifesto indicat.

§. 399. *Reg.* IV. *Terminos conclusionis universalius in conclusione, quam in præmissis propositionibus sunt, capere non licet.*

Cum enim conclusio debet fluere ex præmissis, necesse est ut in iis contineatur, aut qualis est, aut saltem non arctius; cum igitur conclusio erit universalis, præmissæ debent esse universales, nequaquam particulares, nam ex particulari non potest deduci, aut colligi universale; debet enim id colligi, quod in præmissis fuit cum medio collatum; si id fuerit particulare, ita quoque conclusio esse debebit. Hinc non valet sequens Syllogismus. *Qui leges intelligit meretur nomen Jurisconsulti. Aliqui homines intelligunt leges. Ergo omnes homines merentur nomen Jurisconsulti.*

§. 400. Proinde si terminus minor in propositione minore sit universalis, etiam subjectum con-

conclusionis debet esse universale: si minor fuerit particularis, subjectum conclusionis debet esse particulare: uti patebit his exemplis. *Quodcunque est creatum est dependens ab alio. Omnes homines sunt creati: Ergo omnes homines sunt dependentes ab alio.*

Omnes homines nascendi sorte sibi sunt aequales. Sed quaedam animalia sunt homines: Ergo quaedam animalia nascendi sorte sibi sunt aequalia.

§. 401. *Reg.* V. *Cum conclusio est negativa, terminus major debet esse universalis.*

Nam in conclusione negativa praedicatum universaliter sumitur; id vero praedicatum propositionem majorem ingreditur; proinde nisi major propositio universalis fuerit, haec conclusionis pars in praemissis non contineretur. v.gr. *Nullae virtutes sunt contemnendae. Modestia est virtus. Ergo Modestia contemnenda non est.*

§. 402. Adeoque Syllogismi, cujus conclusio est negativa, propositio major nunquam potest esse particularis affirmativa; ejus enim ambo termini, tam subjectum, quam praedicatum, sunt particulares, cum conclusionis praedicatum sit universale.

§. 403. Non tamen necesse est, ut cum conclusio est negativa, propositio major sit universalis, nam poterit esse aeque particularis, ac conclusio, modo praedicatum propositionis majoris sit negativum: tum enim id aeque universale erit in majori, ac est in conclusione: veluti,

Ali-

Aliqua planta non emittit folia. Omnis planta est corpus organicum. Ergo aliquod corpus organicum non emittit folia.

§. 404. Cum conclusio est universalis negativa, subjectum quoque est universale: adeoque oportebit, ut minor etiam sit universalis: sit enim conclusio, *Nullæ leges sunt spernendæ*, Syllogismus sic formatus se habebit. *Quicquid in salutem generis humani fertur, spernendum non est. Leges omnes in salutem generis humani feruntur. Ergo leges nullæ sunt spernendæ.* Si autem propositio minor fuerit universalis negativa, in conclusione subjectum quoque erit universale, & proinde tota conclusio erit universalis. Veluti, *Quicquid pertinet ad Deum est spirituale. Nulla corpora sunt spiritualia. Ergo nulla corpora pertinent ad Deum.*

§. 405. *Reg.* VI. *Ex duabus propositionibus negativis nihil concludi potest.*

Nam terminus medius in ambabus propositionibus separatur tam a subjecto, quam a prædicato, proinde non sequitur subjectum esse uniendum cum prædicato, vel ab eo separandum: v. gr. *Corpus humanum non potest uniri cum Deo. Mens humana non potest uniri cum Deo*, An ergo inde sequetur, *Mentem humanam non posse uniri cum corpore humano?* nequaquam.

§. 406. Hic autem attendendum est, ne propositiones omnes esse negativas opinemur, in quibus particula negativa *non* invenitur, cum non-

nonnullæ hujusmodi sunt affirmativæ; ideo semper sensus propositionum spectandus est, ut hoc distinguatur: Cum enim dicitur, *Homines non pauci sunt superbi*, idem est ac si dixissem, *Homines multi sunt superbi*. adeoque est propositio vere affirmativa. Præterea affirmatio & negatio propositionis nonnunquam pendet a determinatione ipsius prædicati, quæ cognoscitur e sensu loquentis: dixero enim *Lapis non sentit*, tum *non sentire*, sive brutum esse, est prædicatum affirmativum, si id consideravero tanquam aliquid reale, competens Lapidi, verum potuissem *sentire* considerare ut solum reale, tum *non sentire*, fuisset privatio, sive negatio: adeo ut eadem propositio sit affirmativa, vel negativa pro vario sensu loquentis: hinc valet Syllogismus: *Quodcunque non sentit non cogitat. Lapis non sentit. Ergo Lapis non cogitat.* Verum æquivalet huic Syllogismo: *Quodcunque est mere brutum non cogitat: Lapis est mere brutus. Ergo Lapis non cogitat.*

§. 407. Sunt aliæ propositiones negativæ, quæ speciem affirmativam præ se ferunt, & in quibus particulæ negativæ non sunt: Hæ sunt in quibus reperiuntur verba *Solus*, *solummodo*, *tantum*, *tantummodo*, *dumtaxat*. Nam negativa est propositio, *Sola virtus est nobilitas*, quia significat, *Virtus est nobilitas*, & *præter virtutem non datur nobilitas*. Verum sensum hujusmodi propositionum sæpe etiam esse affirmativum, vix in dubium vocari

po-

poteſt: & vidimus in §. 290. dari propoſitiones Excluſivas, quæ non poſſunt non eſſe affirmativæ, adeo ut ſemper non ſint negativæ: imo non video, quare priorem ſententiam; *ſola virtus eſt nobilitas*, exprimere non poſſem hoc modo. *Quicquid eſt nobilitas conſiſtit in virtute*: quæ propoſitio eſt vere affirmativa, & æquipollens priori, adeoque poterit ei ſubſtitui, quamvis quoque poſſit negative exprimi, *non datur nobilitas, quæ non ſit virtus*. vel *nulla eſt nobilitas ſine virtute*.

§. 408. *Reg.* VII. *Concluſio negativa ope propoſitionum affirmativarum probari nequit.*

Ex affirmatione enim non ſequitur negatio: concluſio autem ſemper ſequi debet ex præmiſſis: præterea quomodo ambo termini ſeparati erunt quorum uterque cum Medio cohæret?

§. 409. *Reg.* VIII. *Concluſio ſemper ſequitur partem debiliorem: ita ut ſi alterutra præmiſſarum ſit negativa, concluſio ſit negativa; Si alterutra præmiſſarum ſit particularis, etiam concluſio ſit particularis.*

Si enim alterutra propoſitio fuerit negativa, medius terminus de alterutro quæſtionis termino negatur, proinde utrumque unire nequit; quemadmodum ad concluſionem affirmativam deſiderabatur, adeoque hæc erit negativa. Simili modo ſi præmiſſarum altera ſit particularis, concluſio quæ contineri debet in præmiſſis, atque ex iis fluere, debet eſſe particularis,

& ne-

& nequit esse universalis, vel incurreret in *Reg.* IV. Nam conclusio foret affirmativa, vel negativa: si affirmativa & universalis, subjectum in minori debet esse universale, adeoque ejus prædicatum, quod est terminus medius, non capitur universaliter: quia autem semel hic capiendus est universaliter, ita erit in majori, quæ proinde universalis erit: adeo ut universalis conclusio affirmativa ambas præmissas desideret universales: nunquam igitur, cum alterutra præmissarum est particularis, conclusio universalis esse poterit.

Sit deinde conclusio negativa & universalis, tum & subjectum & prædicatum est universale. ergo æque major ac minor propositio erit universalis, proinde neutra præmissarum particularis.

Sit nunc præmissarum altera particularis, & primo minor: tum subjectum capitur particulariter: proinde cum subjectum conclusionis idem sit, particulariter sumendum est, ut conclusio in præmissis contineatur.

Si propositio major, quæ prædicatum conclusionis continet, sit particularis, prædicatum in conclusione particulariter sumendum est, cum in majori contineri debebat.

§. 410. *Reg.* IX. *ex duabus propositionibus particularibus nihil concludendum est.*

Si enim ambæ propositiones particulares sint affirmativæ, medium bis particulariter capitur & non saltem semel universaliter; adeoque pec-

ca-

catur contra *Reg.* II. ideo non valet sequens syllogismus. *Aliquod animal est quadrupes. Aliquis homo est Animal. Ergo aliquis homo est quadrupes.* Medius terminus *Animal* bis particulariter capitur, quod non licet per §. 394.

Si ambæ præmissæ particulares fuerint negativæ, terminus medius potest etiam esse particularis in utraque præmissarum, adeoque Syllogismus impingit in *Reg.* II. veluti sequens. *Aliquod creatum non est ab æterno. Aliquod non corporeum est aliquod creatum. Ergo aliquod non corporeum non est ab æterno*, Terminus medius est *aliquod creatum.*

Vel si medium bis caperetur universaliter, affirmativa conclusio sequeretur ex præmissis negativis, quod esse nequit per *Reg.* VI. hinc non valet sequens, *Aliquis homo non est a se. Aliquod corpus non est a se. Ergo aliquod corpus est aliquis homo.*

Si alterutra præmissarum fuerit negativa, altera affirmativa, unus terminus habetur universalis, qui est terminus medius, & ambo conclusionis termini sunt particulares: proinde est propositio affirmativa, quæ ex negativa fluere non potest. Veluti *Aliqui docti non sunt felices. Aliqui felices sunt divites. Ergo aliqui divites sunt docti:* Imo huic argumento quatuor termini insunt, 1. docti. 2. non felices. 3. felices. 4. divites.

§. 411. Has regulas sequentibus versibus

expressas felicius memoriæ mandamus.

Terminus est triplex: major, mediusque,
minorque,
Latius hunc quam præmissa conclusio non vult.
Nequaquam Medium capiat conclusio oportet.
Aut semel aut iterum Medium generaliter esto.
Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.
Utraque si præmissa neget, nihil inde sequetur.
Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem.
Est parti similis conclusio deteriori.

§. 412. Ex tribus propositionibus omnis simplex & perfectus Syllogismus componitur: propositionum esse quatuor genera diximus supra: hæc genera quatuor literis A, E, I, O, indicantur; literæ propositionibus præfigi solent: Syllogismo igitur tres literæ præfiguntur, quarum prima præfigitur majori propositioni, secunda minori, tertia conclusioni: hæ quatuor literæ ternatim junctæ modis sexaginta quatuor diversis disponi possunt, adeoque totidem discrepantes Syllogismi effingi possent, nisi aliqui in præcedentes regulas inpingerent, & ideo excludendi forent.

§. 413. Modos autem posse dari 64. diversos sic patet: Vel enim singulæ ponuntur ter, unde oriuntur quatuor primæ mutationes AAA &c. vel singulæ bis cum una reliquarum; id est, cum præter illam, quæ bis ponitur, tres sint; illarum autem quæ bis poni possunt, sint quatuor, poterunt omnes quatuor, ter quater,

id

id est duodecies diversimode jungi; cumque tertia vocali bis repititæ ita possit adjungi, ut vel ultimum, vel medium, vel primum, loca obtineat, ut AAE, AEA, EAA, prodibunt in universum ter duodecim vel 36 modi: vel denique singulæ semel tantum accipiuntur una cum binis reliquarum, quo pacto non nisi quater combinari queunt, nempe AEI, AEO, AIO, EIO. Sed in singulis harum combinationum vocales sexies locum mutare possunt, veluti in prima AEI, AIE, EAI, EIA, IAE, IEA, adeoque in omnibus quatuor combinationibus vicies quater, qui modi cum prioribus quatuor & cum 36 juncti producunt summam 64.

§. 414. Illa Syllogismi dispositio, qua vera consequentia ex præmissis veris apte & secundum regulas ordinatis fluit, appellatur *Forma*.

§. 415. Ad formam duo requiruntur, *Modus & Figura*.

§. 416. *Modus* est apta præmissarum propositionum secundum quantitatem, & qualitatem dispositio, ut inde bonus Syllogismus fluat.

§. 417. Ex inspecta Tabula sequenti patebit tantum 10. dari Modos, & proinde 54. excludi.

Cum enim per *Reg.* VI. ex duabus negantibus nihil possit concludi, expunguntur modi 16, notati *.

§. 418. Quoniam per *Reg.* IX. ex duabus particularibus conclusio legitima non sequitur, expunguntur modi 12, notati —.

§. 419. Quia per *Reg.* VIII. conclusio sequitur partem debiliorem, excluduntur 18. modi notati = .

§. 420. Per *Reg.* VII. Ex duabus affirmantibus negative concludi nequit, ideo excluduntur 6. modi sic notati † .

§. 421. Quia termini conclusionis non debent latius capi quam præmissæ, per *Reg.* IV. excluditur modus notatus ✠ .

§. 422. Quia male concluditur O post præmissas propositiones A. E. potuisset enim concludi universaliter E , ideo rejicitur modus AEO notatus ** .

Tabula complectens omnes Syllogismorum modos.

16	16	16	16
AAA	= EAA	= IAA	= OAA
† AAE	EAE	† IAE	= OAE
AAI	= EAI	IAI	= OAI
† AAO	EAO	† IAO	OAO
= AEA	* EEA	= IEA	* OEA
AEE	* EEE	= IEE	* OEE
= AEI	* EEI	= IEI	* OEI
** AEO	* EEO	✠ IEO	* OEO
= AIA	= EIA	— IIA	— OIA
† AIE	= EIE	— IIE	— OIE
AII	= EII	— III	— OII
† AIO	EIO	— IIO	— OIO
= AOA	* EOA	— IOA	* OOA
= AOE	* EOE	— IOE	* OOE
= AOI	* EOI	— IOI	* OOI
AOO	* EOO	— IOO	* OOO

§. 423.

§. 423. Ex his decem modis ſunt quatuor affirmantes, qui concludunt in A vel I, veluti AAA, AAI, AII, IAI.

§. 424. Et ſunt ſex modi negativi, quorum concluſiones ſunt E vel O, uti AEE, AOO, EAE, EAO, EIO, OAO.

§. 425. *Figura* vocatur apta *Medii* cum extremis ad rite concludendum diſpoſitio.

§. 426. Quoniam Medium quadruplici modo, nec pluri diſponi poteſt, oriuntur quatuor Figuræ; plures enim eſſe nequeunt; quæ erunt propter medii locum ſequentes.

§. 427. Medium cum ſit ſubjectum in propoſitione majore, & Prædicatum in minore, conſtituetur *Figura prima*, veluti *Omne animal cogitat. Omnis homo eſt animal. Ergo omnis homo cogitat*: in quo Syllogiſmo *animal* eſt medium.

§. 428. Cum Medium erit prædicatum, tam in propoſitione majori, quam in minori, formabitur *Figura ſecunda:* veluti *Omne animal eſt mortale. Nullus Angelus eſt mortalis. Ergo Nullus Angelus eſt animal*. Hic vox *mortalis* efficit medium.

§. 429. Si Medium fuerit in utraque propoſitione ſubjectum, efficietur *Figura tertia*, veluti *Omnis avarus eſt pauper. Aliquis avarus eſt locuples. Ergo aliquis locuples eſt pauper. Avarus* conſtituit hic medium.

§. 430. Si Medium fuerit prædicatum in majori, & ſubjectum in minori, conſtituitur

Figura quarta, veluti, *Nulli milites strenui metuunt adduci in discrimen vitæ. Adduci in discrimen vitæ fœminis displicet. Ergo Aliquid fœminis displicet, quod milites strenui non metuunt.*

§. 431. Ut ex loco Medii in Syllogismo facile quilibet cognoscat, ad quam Figuram pertineat Syllogismus, Logici versiculum confecerunt ex primis Syllabis vocum subjecti & prædicati, qui facilius teneretur memoria, & hic est.

Sub, Præ: tum Præ, Præ: tum Sub, Sub: denique Præ, Sub.

§. 432. Invenimus supra decem dari Modos, deinde quatuor dari Figuras, cuilibet autem Figuræ non conveniunt omnes modi, sed tantum aliqui, adeo ut tantum novemdecim species Syllogismorum simplicium legitime formari possint.

§. 433. Si jam Syllogismus ita fuerit adornatus, ut regulis præscriptis omnia in eo conveniant, dicitur *Syllogismus in forma*. Si autem quædam in eo sint, quæ regulis non conveniant, dicitur *Non in forma*, vel *vitiosus*, aut *non valere*.

§. 434. Prout est propositionum varietas, quoad affirmantes, negantes, universales, particulares, singulares &c. ita quoque sunt Syllogismi ex ejusmodi propositionibus compositi, affirmativi dicti, vel negativi, universales, particulares, aut singulares.

§. 435. Quotiescumque quæstio est propositio universalis affirmativa, semper argumentum,

tum, quo quæstio probabitur, formandum est in prima figura; cum in aliis figuris hoc locum habere nequeat: Si quæstio sit universalis negativa, poterit ad eam probandam Syllogismus in prima, aut in secunda figura formari: Si autem quæstio fuerit particularis affirmativa, poterit argumentum formari in prima, tertia, & quarta figura: si particularis negativa, poterit argumentum in omnibus formari figuris.

§. 436. Quælibet figura suas habet regulas, quæ, ut Syllogismi boni efficiantur, sunt observandæ.

PRIMA FIGURA.

§. 437. In hac figura medius terminus est in majori propositione subjectum, in minori prædicatum: Duæ in hac Figura sunt observandæ regulæ.

§. 438. *Reg. 1. Minor propositio requiritur affirmativa.*

Nam si Minor negativa foret, conclusio per §. 409. etiam esset negativa: sed cum minor esset negativa, major deberet esse affirmativa per §. 405. verum in conclusione negativa prædicatum caperetur universaliter, & in majori affirmativa, cujus prædicatum est idem prædicatum, id non caperetur universaliter; adeoque prædicatum in conclusione generalius quam in præmissa caperetur, quod incurrit in §. 399. Ex qui-

bus liquet, propositionem minorem non posse esse negativam, erit igitur affirmativa.

§. 439. *Reg.* II. *Major debet esse universalis.* Quoniam minor est affirmativa, & terminus medius hujus prædicatum, sumitur medium particulariter, adeoque oportet ut hoc in majori capiatur universaliter per §. 394. Sed in majori constituit subjectum, id ergo universaliter sumendum, atque ita propositionem efficit universalem. Præterea si major foret particularis, conclusio deberet esse particularis: si autem conclusio sit particularis, subjectum ejus capietur particulariter; sed hoc subjectum est propositionis minoris subjectum, adeoque minor etiam caperetur particulariter: Igitur in hoc casu ambæ præmissæ forent particulares, ex quibus concludere non licet per §. 410.

Hæ regulæ sequenti versiculo continentur.

Sit minor affirmans, sed major sit generalis.

§. 440. In prima Figura tantum quatuor ex decem esse possunt modi. Nam 1. AEE, & AOO, excluduntur per §. 438. quia minor debet esse affirmativa. 2. IAI, & OAO excluduntur per §. 439. quia major debet esse universalis. 3. AAI, & EAO excluduntur, quia ex generalibus præmissis conclusio generalis est formanda: Ideo duo modi affirmativi AAA, & AII, tum duo negativi EAE, & EIO restant.

§. 441. Vel considera majorem, quæ debet esse universalis, posse esse universalem affirmantem,

tem, vel negantem 2. minorem, quæ debet esse affirmativa, posse esse universalem, vel particularem: tum poterunt modo quatuor species Syllogismorum formari: nam major affirmans sit, erit minor universalis 2. Vel erit minor particularis. 3. Major negans sit, erit minor affirmans universalis. 4. Vel erit minor particularis.

§. 442. Hos modos quatuor artificialibus vocibus comprehendere solent Logici, in quibus vocales notant cum quantitatem, tum qualitatem propositionis, cui syllaba est præfixa: Sunt vero BARBARA, CELARENT, DARII, FERIO, quæ exemplis hoc modo apponuntur.

† † †

BAR- *Omnia corpora suis superficiebus sunt terminata.*
BA- *Sed omnia animalia sunt corpora.*
RA. *Ergo omnia animalia sunt suis superficiebus terminata.*

† † †

CE- *Nullæ voluptates animo sapientis satisfaciunt.*
LA- *Ebrietas, Venus, Alea, sunt voluptates.*
RENT. *Ergo Ebrietas, Venus, Alea animo sapientis non satisfaciunt.*

DA-

† † †

DA- *Quicunque quolibet modo corrodunt thesauros, multis vitæ periculis se committunt.*
RI- *Sed aliqui avari corrodunt quolibet modo thesauros.*
I. *Ergo aliqui avari multis vitæ periculis se committunt.*

† . † . † .

FE- *Nulli homines, qui pauperibus opem ferunt, culpandi sunt.*
RI- *Sed aliqui pii pauperibus opem ferunt.*
O. *Ergo aliqui pii culpandi non sunt.*

§. 443. Demonstratur facile veritas & firmitas syllogismi, qui est in *Barbara*, hoc modo: Omne B est A. Omne C est B. Ergo Omne C est A. Non enim secus se habent in Syllogismo propositiones.

§. 444. Simili modo demonstratur firmitas Syllogismi in CELARENT. Nullum B est A. Omne C est B. ergo Nullum C est A.

§. 445. Et demonstratur Syllogismus in DARII: Omne B est A. aliquod C est B. ergo aliquod C est A.

§. 446. Itidem demonstrabitur Syllogismi veritas in *Ferio*: Nullum B est A. Aliquod C est B. ergo aliquod C non est A.

§. 447.

§. 447. Vel universaliter more mathematico scribi poterunt casus.

$$A =, >, <, B.$$
$$C =, >, <, A.$$
$$\text{Ergo } C =, >, <, B.$$

§. 448. Logici firmitatem hujus figuræ quoad modos affirmativos probare nituntur, quoniam *Quicquid dicitur de superiori, dicitur de Inferiori*. & firmitatem modorum negativorum adstruunt, quia *Quod repugnat superiori, repugnat inferiori*. Nam quicquid prædicatur de superiori, sive de genere, vel specie universaliter, prædicari potest de quolibet ejus inferiori; quia hoc continetur in superiori: adeoque cum propositio major sit universalis, quicquid in ea prædicatur, continet sub se & minorem & conclusionem. Simili modo quicquid negatur de inferiori propter eandem rationem.

§. 449. In iis Syllogismis primæ figuræ, quorum minor universalis conversionem admittit, non necesse est, ut major sit universalis, sed potest esse particularis, salva syllogismi bonitate. Quia cum minor universalis converti potest, prædicatum ejus capitur universaliter; sed hoc prædicatum est terminus medius, qui hoc modo universaliter fuit sumtus, adeoque in Syllogismo semel saltem est universalis, ut oportebat secundum *Reg. II.* §. 394. major vero in præcedentibus Syllogismis ideo tantum re-

qui-

quirebatur universalis, ut medius terminus esset semel universalis, qui in minori affirmativa erat particularis: jam medio termino facto universali in propositione minori, non necesse est, ut quoque sit universalis in majori, & ideo major potest esse propositio particularis, adeoque valebunt sequentes Syllogismi.

Aliquod Animal rationale constat ex mente & corpore.
Sed omnis homo est animal rationale.
Ergo aliquis homo constat ex mente & corpore.

† †

Aliquod Triangulum habet omnia latera æqualia.
Omnis figura tribus lineis comprehensa est Triangulum.
Ergo aliqua figura tribus lineis comprehensa habet omnia latera æqualia.

§. 450. Ex veris præmissis propositionibus & bene ordinatis, ita ut ex iis probus Syllogismus fuerit conninnatus secundum leges præscriptas, conclusio vera semper sequitur. Sed ex ambabus præmissis falsis vel altera falsa potest sequi conclusio, quæ interdum est falsa, interdum vera. v. gr. falsa est sequens conclusio.

Omnis homo est planta
Omne animal est homo
Ergo omne animal est planta.

Vera est sequens conclusio ex una falsa præmissa.

Omnis Equus est animal
Omnis homo est Equus
Ergo omnis homo est animal.

Vera est conclusionis propositio ex ambabus præmissis falsis.

Quod est extensum non est finitum
Deus est extensus
Ergo Deus non est finitus.

Verum tantum casu evenit, ut conclusio fit propositio vera, quæ colligitur ex una vel duabus præmissis falsis: hinc nequaquam colligi potest, ac si regulæ Syllogismorum non forent sufficientes ad veritatem probandam; hæ enim semper supponunt propositiones ambas Syllogismi esse veras, ut ex iis legitima sequela colligatur.

DE FIGURA SECUNDA.

§. 451. In *Figura secunda* medius terminus est prædicatum in utraque propositione. In hac Figura duæ regulæ sunt observandæ.

§. 452. *Reg.* I. *Alterutra præmissarum debet esse negativa; adeoque conclusio etiam negativa erit.* Si ambæ præmissæ essent affirmativæ, medius terminus, qui in utraque propositione est prædicatum, bis particulariter caperetur contra *Reg.* II. §. 394. ergo si alterutra præmissarum fiat negativa, prædicatum, hoc est terminus medius, capitur universaliter: Cum vero alteru-

tra

tra præmiſſarum eſt negativa ſecundum *Reg.* VIII. §. 409. Concluſio quoque erit negativa.

§. 453. *Reg.* II. *Major debet eſſe univerſalis.*

Quia enim concluſio eſt negativa, erit ejus prædicatum univerſale, ſed hoc prædicatum eſt ſubjectum propoſitionis majoris, id igitur univerſaliter capiendum eſt in propoſitione majori, adeoque hanc desiderat univerſalem.

§. 454. In Figura ſecunda tantum ſunt quatuor modi, EAE, AEE, EIO, AOO. Nam omnes excluduntur, quorum conclusiones forent affirmativæ; quippe in hac figura debent eſſe negativæ per *Reg.* I. §. 452. Quia major debet eſſe univerſalis, per *Reg.* II. §. 453. excluduntur OAE, OAO. Excluditur etiam EAO, quia poteſt concludi EAE. cum enim ſubjectum propoſitionis minoris capitur univerſaliter, poteſt etiam in concluſione eſſe univerſale, præſertim quia prædicatum conclusionis quoque in majori fuit univerſale, tota conclusio poterit eſſe univerſalis. Quamobrem tantum quatuor modi ſuperſunt, duo EAE, AEE ſunt univerſales: & duo EIO, AOO particulares: Hi modi ſequentibus vocibus a Logicis designari ſolent, CESARE, CAMESTRES, FESTINO, BAROCO.

Vel conſidera majorem debere univerſalem affirmantem eſſe vel negantem. Minorem debere eſſe affirmantem vel negantem, ſed ita ut alterutra præmiſſarum ſit negativa: adeoque erit 1°. major univerſalis negans, minor univerſa-

lis

lis affirmans, conclusio universalis negans. 2°. Major universalis affirmans, minor & conclusio universales negantes. 3°. Major universalis negans, minor particularis affirmans, conclusio particularis negans. 4°. major universalis affirmans, minor particularis negans, conclusio particularis negans.

CE- *Nemo sua sorte contentus inhiat aliorum bonis.*
SA- *Omnis avarus inhiat aliarum bonis.*
RE. *Ergo omnis avarus non est sua sorte contentus.*

† † †

CA- *Quicquid pertinet ad Deum est spirituale.*
MES- *Nihil quod est corporeum est spirituale.*
TRES. *Ergo nihil quod est corporeum pertinet ad Deum.*

† † †

FES- *Nullum scelus est excusandum.*
TI- *Quædam culpa est excusanda.*
NO. *Ergo quædam culpa non est scelus.*

† . † . †

BA- *Omnem veram virtutem comitatur prudentia.*
RO- *Aliquem zelum non comitatur prudentia.*
CO. *Ergo aliquis zelus non est virtus.*

§. 455.

§. 455. Syllogismi in CESARE sunt aliquo modo indirecti, cum id quod negatur, tantum indirecte negetur, & utriusque termini vinculum sit in extremo ambarum propositionum; quo insolenti more loqui naturaliter non solemus: Nihilominus animus vim argumenti clare & probe perspicit, & ideo acquiescit.

§. 456. Modi in CESARE & FESTINO a modis primæ Figuræ CELARENT & FERIO vix differunt, nisi vario Medii termini loco: ideo Syllogismi hujus Figuræ facile in eos primæ Figuræ converti possunt: Quod enim est prædicatum propositionis majoris in secunda figura, fiat subjectum majoris, tumque Syllogismus erit in Figura prima: sit enim in Figura secunda.

CE- *Nullum animal est lapis,*
SA- *Omnis gemma est lapis,*
RE. *Ergo nulla gemma est animal.*

Hic vertetur Syllogismus in primam Figuram.

CE- *Nullus lapis est animal,*
LA- *Omnis gemma est lapis,*
RENT. *Ergo nulla gemma est animal.*

Ita hic Syllogismus secundæ Figuræ.

FES- *Nulla virtus est contraria amori veritatis.*
TI- *Est aliquis amor pacis contrarius amori veritatis.*
NO. *Ergo est aliquis amor pacis, qui non est virtus.*

Hic

Hic converſus in primam Figuram erit.

FE- *Quod eſt contrarium amori veritatis non eſt virtus.*

RI- *Aliquis amor pacis eſt contrarius amori veritatis.*

O. *Ergo aliquis amor pacis non eſt virtus.*

§. 457. Alii duo modi hujus Figuræ CAMESTRES & BAROCO converti in Syllogiſmos primæ Figuræ non poſſunt: Quia in prima Figura minor debet eſſe affirmativa, quæ in his ſecundæ figuræ modis eſt negativa.

§. 458. Modi in hac figura ſe habent veluti quantitates in Mathematicis, & proinde ſimili more probari poſſunt.

$$A =, >, <, B$$
$$C =, B.$$
$$\text{Ergo } C =, >, <, A.$$

§. 459. Quia in hac figura concluſiones ſemper debent eſſe negativæ, patet omnes Syllogiſmos eſſe vitioſos, quorum ambæ præmiſſæ & concluſiones ſunt affirmativæ: uti.

Omnes fures venerantur juſtitiam.
Omnes probi venerantur juſtitiam.
Ergo Omnes probi ſunt fures.

§. 460. Nihilominus hic dari poteſt exceptio, & Syllogiſmi in Figura Secunda affirmativi & boni formari poſſunt, quotieſcunque alterutra

 præ-

præmissarum est propositio quæ universaliter converti potest: tum enim prædicatum in tali propositione capitur universaliter; & quia hoc prædicatum est terminus medius, capitur hic terminus universaliter; adeòque medium saltem semel universaliter Syllogismo inest: ob quam rationem diximus §.452.propositionum alterutram debere esse negativam, verum id non foret necesse, tantum alia ratione medium sit universale; & ideo valet hic Syllogismus, in quo prædicatum, quod est Medium, est definitio Subjecti in majore, atque ideo propositio converti potest.

Ars est collectio præceptorum ad certum finem tendentium.
Rhetorica est collectio præceptorum ad certum finem tendentium.
Ergo Rhetorica est ars.

Nam conversa propositio in Syllogismo foret.

Collectio præceptorum ad certum finem tendentium est ars.
Sed Rhetorica est collectio præceptorum ad certum finem tendentium.
Ergo Rhetorica est ars.

Qui Syllogismus tum foret in prima figura.

DE TERTIA FIGURA.

§. 461. In Tertia figura terminus Medius est

tam

tam Subjectum propositionis majoris, quam minoris: In hac figura duæ observandæ sunt regulæ.

§. 462. REG. I. *Minor propositio debet esse affirmativa.*

Propter eandem causam ac in prima Figura minor est affirmativa: Nam prædicatum conclusionis est prædicatum propositionis majoris: Si jam minor negativa foret, conclusio esset negativa, in qua prædicatum semper capitur universaliter; proinde & universaliter in majori capiendum foret; quod fieri nequit, nisi in propositione negativa; verum hoc modo ambæ præmissæ evaderent negativæ, ex quibus concludere per §. 405. non licet: ideo minor ut sit affirmativa necesse est.

§. 463. REG. II. *Conclusio nonnisi particularis esse potest.*

Quia in minori, quæ affirmativa esse debet, prædicatum est quod in conclusione est subjectum; & affirmativæ propositionis prædicatum non in omni latitudine, sed particulariter capitur, conclusionis subjectum necessario particulariter est capiendum; quod facit, ut tota conclusio particularis evadat. Binæ regulæ sequenti versiculo comprehenduntur.

Sit minor affirmans, conclusio particularis.

§. 464. Ex hac tertia figura modi AEE, & AOO excluduntur per Reg. I. §. 462. Excluduntur etiam AAA, EAE per Reg. II. §. 463. adeo-

que sex tantum modi supersunt, quorum tres sunt affirmativi AAI, AII, IAI. tres negativi EAO, EIO, OAO. qui his vocibus artificalibus a Logicis exprimuntur, DARAPTI, FELAPTON, DISAMI, DATISI, BOCARDO, FERISON. Quæ exemplis nunc illustranda erunt.

DA- *Qui veram pietatem colunt sunt boni Christiani.*
RAP- *Qui veram pietatem colunt sperare possunt vitam æternam.*
TI. *Ergo aliqui sperare possunt vitam æternam qui sunt boni Christiani.*

† † †

FE- *Nullum animal est immortale,*
LAP- *Omne animal constat ex anima & corpore,*
TON. *Ergo aliquid quod constat ex anima & corpore non est immortale.*

† † †

DI- *Quædam aquæ epotæ sunt lethales,*
SA- *Omnes aquæ sunt fluidæ,*
MI. *Ergo aliquid est fluidum quod est lethale.*

† † †

DA- *Omnes virtutes reddunt hominem celebrem,*
TI- *Aliqua virtus est fortitudo,*
SI. *Ergo Aliqua fortitudo reddit hominem celebrem.*

Ali-

† † †

BO- *Aliquis perjurus non meretur gloriam quam ambit.*
CAR- *Omnes perjuri sunt Athei,*
DO. *Ergo aliquis atheus non meretur gloriam quam ambit.*

† † †

FE- *Nulla corpora ex se cogitare possunt,*
RI- *Quædam corpora sunt pellucida,*
SON. *Ergo aliquod pellucidum ex se cogitare non potest.*

§. 465. Possunt nonnulli Syllogismi hujus figuræ levi mutatione converti in Syllogismos primæ figuræ, ita qui sunt in Darapti possunt mutari in Darii, veluti in exemplo patebit.

§. 466. Attamen Syllogismi qui sunt in Datisi, facillime vertuntur in eos primæ Figuræ in Darii.

Ita in Datisi est sequens argumentum.

Omnes electi a Deo in æternum salvabuntur;
Aliqui electi sunt pii.
Ergo aliqui pii a Deo in æternum salvabuntur;

In Darii conversum hoc pacto stabit.

Omnes electi a Deo in æternum salvabuntur,
Aliqui pii sunt electi,
Ergo pii aliqui a Deo in æternum salvabuntur.

Omnis mutatio consistit tantum in propositione minori, cujus prædicatum versum est in subjectum, ut ex figura tertia argumentum transferatur in primam: si autem hujusmodi conversio prædicati in subjectum fieri nequit, salvo propositionis sensu, argumentum relinquendum est in tertia figura.

Omnis homo est animal.
Omnis homo vivit.
Ergo aliquid, quod vivit, est Animal.

Hic Syllogismus reductus ad formam DARII sic stabit:

Omnis homo est animal.
Aliquid quod vivit est homo.
Ergo aliquid quod vivit est animal.

In hac conversione propositio minor, quæ in tertia Figura erat universalis, conversa fuit in particularem pro prima Figura, & prædicatum fuit mutatum in Subjectum, quod semper fieri poterit, cum universale sub se capiat particulare.

§. 467. Simili modo Syllogismi in BOCARDO verti possunt in eos, qui sunt in FERIO; veluti hic, qui est in BOCARDO.

Aliquis homo non est lapis.
Omnis homo est animal.
Ergo aliquod animal non est lapis.

Hic stabit in FERIO hoc modo.

Nullus

Nullus homo eſt lapis.
Aliquod animal eſt homo.
Ergo aliquod animal non eſt lapis.

Hic propoſitio major particularis in BOCARDO ſumta fuit univerſalis in FERIO; & propoſitio minor univerſalis in BOCARDO facta fuit particularis in FERIO; ac ſimul prædicatum verſum fuit in ſubjectum.

§. 468. Syllogiſmi, qui ſunt in FELAPTON, etiam vertentur in FERIO. Sit enim in FELAPTON.

Nullum corpus ſibi eſſe dedit.
Omne corpus eſt iners.
Ergo aliquid iners ſibi eſſe non dedit.

Hoc argumentum erit in FERIO hoc modo.

Nullum corpus ſibi eſſe dedit.
Aliquid iners eſt corpus.
Ergo aliquid iners ſibi eſſe non dedit.

Hic eſt ſimilis converſio ac in §. 466.

§. 469. Et Syllogiſmi, qui ſunt in FERISON, facile vertuntur in eos primæ figuræ, qui ſunt in FERIO. Nam in FERISON eſt.

Nulli homines in hac vita ſunt vere beati,
Aliqui homines ſtudio partium ſerunt diſcordiam,
Ergo aliqui, qui ſtudio partium ſerunt diſcordiam, in hac vita non ſunt vere beati.

Hoc argumentum ſic ſtabit in FERIO.

Nulli homines in hac vita sunt vere beati,
Qui partium studio serunt discordiam sunt homines aliqui.
Ergo aliqui, qui partium studio serunt discordiam, in hac vita non sunt vere beati.

§. 470. Necesse est, ut propositiones in Syllogismis hujus figuræ rite disponantur, major primo ordine, minor sit secundo ordine, cæteroquin boni darentur Syllogismi, qui non secundum regulas §.462. & 463. viderentur formati: veluti in sequenti exemplo patebit.

Omnes homines sunt mendaces.
Nulli homines in hac vita cavere possunt errores.
Ergo aliqui qui in hac vita cavere errores non possunt sunt mendaces.

Non valet hic Syllogismus per *Reg.* 462. quia minor debet esse affirmativa, quæ hic est negativa; unusquisque tamen de veritate propositionum & Syllogismi est convictus, sed propositiones male sunt ordinatæ: si enim ordinentur pro FELAPTON, erit Syllogismus in forma.

Nulli homines in hac vita cavere possunt errores,
Omnes homines sunt mendaces,
Ergo aliqui mendaces in hac vita cavere errores non possunt.

§. 471. Demonstrantur Syllogismi hujus figuræ more geometrico, veluti de aliis diximus.

Sit

Sit C ≡, >, <, B
A ≡ C
erit A ≡ >, <, B.

§. 472. Duobus principiis modi tertiæ figuræ innituntur: Primum ad modos affirmativos pertinet: ſcilicet, *Si duo attributa eidem ſubjecto conveniunt, hæc etiam inter ſe aliquando conveniunt.* Si enim omnes ſcientiæ inter ſe cognationem habeant, & utiles ſint, aliquid utile aliquando cognationem cum alia re habet.

§. 473. Secundum principium ad modos negativos refertur: nempe *Si ex duobus attributis unum alicui ſubjecto conveniat, cui non convenit alterum, iſta attributa aliquando inter ſe non conveniunt:* v. gr. Si nulli violento conveniat eſſe durabile, & omni violento conveniat eſſe præter naturam, fieri poteſt, ut aliquid, quod eſt præter naturam, non ſit durabile.

DE QUARTA FIGURA.

§. 474. In QUARTA FIGURA terminus medius ſit prædicatum in majori, & ſubjectum in minori.

§. 475. Omne ratiocinium in hac figura formatum eſt auribus adeo inſolens & intortum, ut prorſus diſpliceat, nec in uſu ſit: ideo etiam ab Ariſtotele proſcriptum, licet ejus temporibus fuerit a Theophraſto & Eudemo inventum; nihilominus a Galeno & Porphyrio fuit defenſum, hinc *Galenica Figura* audit: In hac tres obſervandæ ſunt regulæ.

§. 476.

§. 476. Reg. I. *Quando Major propositio est affirmativa, minor semper erit universalis.*

Quoniam enim Medius terminus in propositione majori est prædicatum, & major est affirmativa, medius terminus capietur particulariter; adeoque tum universaliter capiendus erit in propositione minori, quod efficit, ut hæc propositio sit universalis.

§. 477. Reg. II. *Quando minor est affirmativa, conclusio semper erit particularis.*

Quando enim propositio minor est affirmativa, ejus prædicatum sumitur particulariter; prædicatum vero hoc est subjectum in conclusione, adeoque hoc subjectum particulariter in conclusione sumendum est, quod facit, ut conclusio sit particularis.

§. 478. Reg. III. *In modis negativis majorem esse universalem oportet.*

Quando enim conclusio est negativa, ejus prædicatum capitur universaliter, adeoque oportet, ut in præmissis capiatur etiam universaliter; verum constituit subjectum propositionis majoris; id igitur universaliter sumtum facit, ut tota propositio major sit universalis.

§. 479. In hac figura quinque modi excluduntur, duo nempe A I I, A O O per *Reg.* I. §. 476. quando enim major est affirmativa, minor debet esse universalis. Excluduntur modi A A A, E A E, per *Reg.* II. §. 477. quia quando minor est affirmativa, conclusio semper erit particularis.

Tan-

Tandem excluditur modus O A O. per *Reg.* III. §. 478. In modis enim negativis major debet esse universalis: Itaque quinque modi tantum supersunt, duo affirmativi AAI, IAI, & tres negativi AEE, EAO, EIO, qui sequentibus vocibus a Logicis exprimuntur: BARBARI, CALENTES, DIBATIS, FESPAMO, FRESISOM.

BAR- *Omnes opulenti metuunt perdere divitias.*
BA- *Quicunque metuunt perdere divitias sunt miseri.*
RI. *Ergo aliqui sunt miseri qui sunt opulenti.*

† † †

CA- *Omnia mala hujus vitæ sunt transitoria,*
LEN- *Nulla transitoria sunt timenda,*
TES. *Ergo nulla sunt timenda quæ sunt mala hujus vitæ.*

† † †

DI- *Quædam horologia accurate ostendunt horas,*
BA- *Quodcunque accurate ostendit horas, est vitæ civili utilissimum,*
TIS. *Ergo est aliquid vitæ civili utilissimum, quod est horologium.*

† † †

FES- *Nulli milites strenui respuunt subire vitæ discrimen,*
PA- *Omne vitæ discrimen fœminis displicet,*
MO. *Ergo aliquid fœminis displicet, quod milites strenui subire non respuunt.*

Nul-

† † †

FRE- *Nullus avarus est sua sorte contentus,*
SI- *Aliquis sua sorte contentus est felix,*
SOM. *Ergo aliquis est felix, qui non est avarus.*

§. 480. Quoniam hi Syllogismi sunt adeo intorti, ab iis merito abstinemus; verum eos facile ad aliarum figurarum Syllogismos reducemus, quod præstabilius erit: Nam qui sunt in BARBARI, reducentur ad eos in BARBARA, si propositio minor convertatur in majorem, & major in minorem, atque conclusio particularis in universalem: Ponamus enim iterum ante oculos exemplum in BARBARI, id conversum in BARBARA sic se habebit.

BAR- *Quicunque metuunt perdere divitias sunt miseri,*
BA- *Sed omnes opulenti metuunt perdere divitias,*
RA. *Ergo omnes opulenti sunt miseri.*

Eodem modo exemplum, quod est CALENTES, reducemus ad CELARENT.

CE- *Nulla transitoria sunt timenda.*
LA- *Omnia mala hujus vitæ sunt transitoria.*
RENT. *Ergo nulla mala hujus vitæ sunt timenda.*

Syllogismus, qui est in DIBATIS, conversus in DARII, sic ordinatus stabit.

Quod-

DA- *Quodcunque accurate ostendit horas est vitæ civili utilissimum,*

RI- *Sed aliquod horologium accurate ostendit horas,*

I. *Ergo aliquod horologium est vitæ civili utilissimum.*

Exemplum, quod est in FESPAMO, sic convertetur in CESARE secundæ Figuræ.

CE- *Nulli milites strenui respuunt vitæ subire discrimina,*

SA- *Omnes fæminæ oderunt vitæ subire discrimen.*

RE. *Ergo omnes fæminæ oderunt quod milites strenui non respuunt.*

Pari pacto Syllogismus, qui est in FRESISOM, potest converti in talem, qui erit in CAMESTRES, hoc modo.

CA- *Quicunque felix est sua sorte contentus est,*
MES- *Nullus avarus sua sorte contentus est,*
TRES. *Ergo nullus avarus est felix.*

CAPUT QUARTUM.

De Figurarum quatuor comparatione inter se, de Syllogismis Complexis & intricatis.

§. 481. SYllogismi in quatuor figuris formati non æque placent nostris auribus, etiamsi ex regularum præscripto sint effecti, & be-

bene concludant; quo enim a vulgari & usitato loquendi modo magis recedunt, eo minus placent, & Scholasticum quidpiam redolent; Ideo Syllogismi in prima figura formati præferuntur iis aliarum figurarum, cum ad morem loquendi communem proxime accedunt. 2°. Perfectissimi habentur, quia consequentia clarius ex præmissis fluere videtur, quam in aliis tribus figuris; cum termini in conclusione se habent uti in præmissis; quippe subjectum conclusionis est subjectum in propositione minori, & prædicatum conclusionis est quoque prædicatum propositionis majoris: quod igitur est subjectum conclusionis, ante fuit subjectum in præmissa; & quod est prædicatum conclusionis, ante fuit prædicatum in præmissa: uti cum dixero.

Quicquid est creatum habet initium.
Mundus est creatus.
Ergo Mundus habet initium.

Est adeo naturale hoc ratiocinium, ut vix a vulgari sermone recedat, *Mundus habet initium, nam creatus est, & quicquid est creatum habet initium*: præterea in Syllogismo *mundus* est subjectum in minori, & in conclusione: *habet initium* est prædicatum in conclusione, & in majori.

Verum in secunda figura mens illico non perfunditur ea evidentia, quia prædicatum conclusionis fuit subjectum majoris, quod aliquid minus

nus naturale in ratiocinium infert: Syllogismus enim præcedens reductus ad figuram secundam se sic habet.

Quicquid non est ab æterno est creatum.
Mundus est creatus.
Ergo Mundus non est ab æterno.

Ob similem causam Syllogismi in tertia figura minus naturales apparent, cum prædicatum minoris evadit subjectum conclusionis: adeoque mutatum est aliquid in conclusione, quod ita non fuit in præmissis: veluti

Quicquid est creatum habet initium,
Aliquid creatum est mundus,
Ergo aliquis mundus habet initium.

In quarta figura hæc mutatio est in ambobus terminis conclusionis; hujus enim subjectum fuit prædicatum minoris; & prædicatum fuit subjectum majoris; in quibus binis mutationibus vix mens acquiescere potest, & approbare conclusionem, etiamsi reperiatur post examen bona.

§. 482. Figura prima præterea antefertur aliis, utpote universalior, cum in ea conclusiones formentur in A, E, I, O. In secunda figura tantum in E, O. In tertia figura in I, O. In quarta figara in I, E, O. Quoniam autem plurimi trium posteriorum figurarum Syllogismi facile converti possunt in eos primæ figuræ, præ-

stabit

ſtabit ſemper uti prima figura; & reliquas tantum doctrinæ cauſa retinere, niſi in certis occaſionibus.

§. 483. Inter Syllogiſmos Simplices dantur aliqui, quos vocamus complexos §. 383. : hi ſunt minus ſimplices præcedentibus, etiamſi non ſunt compoſiti, nam non ex pluribus, quam tribus propoſitionibus conſtant: verum complexi vocantur, quia una vel altera propoſitio non eſt mere ſimplex, ſed recipit aliquam *Incidentem*, quæ ita eſt comparata, ut abeſſe poſſit, non mutato ſenſu aut valore ejuſdem propoſitionis: Ceteroquin hi Syllogiſmi pluribus terminis, quam tribus, viderentur conſtare, proinde non convenire cum regulis ſupra traditis, veluti:

Divina Lex jubet, ut parentes noſtros bonoremus.
Cajus & Livia ſunt noſtri parentes.
Ergo divina lex jubet, ut Cajum & Liviam bonoremus.

In quo Syllogiſmo terminus majoris, *divina Lex jubet*, non eſt ſubjectum, & *ut parentes noſtros bonoremus* prædicatum: ſed verba *Lex divina jubet* eſt propoſitio incidens, quæ ſalvo Syllogiſmo abeſſe poteſt, ſequenti modo.

Parentes noſtri ſunt bonorandi.
Cajus & Livia ſunt noſtri parentes.
Ergo Cajus & Livia ſunt bonorandi.

Vel

Vel hoc modo, ut maneat emphasis, quam propositio incidens addit.

Parentes nostri sunt ex lege divina honorandi,
Cajus & Livia sunt nostri parentes,
Ergo Cajus & Livia ex Lege divina sunt honorandi.

Intuendo præterea propositionem complexam, *Divina Lex jubet ut parentes nostros honoremus*, facile detegimus verba hæc *Divina Lex jubet* non posse constituere subjectum, & alia *ut parentes nostros honoremus* prædicatum; quia propositio est affirmativa, in qua prædicatum nunquam est terminus universalis, qualis hic est, *ut nostros parentes honoremus*. Subjectum vero foret terminus particularis, *divina Lex jubet*, sive *Quædam divina Lex jubet*: unde sequitur, *parentes*, constituere subjectum, *sunt honorandi*, conficere prædicatum propositionis.

§. 484. Hujusmodi Syllogismi Complexi possunt dari in quatuor expositis Figuris; nam propositio major potest variis modis fieri complexa ope variorum terminorum additorum: veluti

IN PRIMA FIGURA.

Newtonus demonstravit, omnibus corporibus inesse gravitatem,
Planetæ sunt corpora,
Ergo Newtonus demonstravit, Planetis inesse gravitatem.

IN SECUNDA FIGURA.

Affirmare audeo, Quodcunque homines ad peccandum impellit, esse fugiendum.
Sed nulla virtus est fugienda.
Ergo affirmare audeo, Nullam virtutem homines ad peccandum impellere.

IN TERTIA FIGURA.

Philosophi bene demonstraverunt, Nihil, quod penetrari potest ab alio, esse corporeum.
Sed aliquid, quod ab alio penetrari potest, est spatium extensum.
Ergo Philosophi bene demonstraverunt, aliquod spatium extensum non esse corporeum.

IN QUARTA FIGURA.

In dubium vocari nequit, quin omnia miracula contra ordinarias naturæ leges eveniant.
Quæ contra ordinarias naturæ leges eveniunt, efficiuntur a Deo.
Ergo in dubium vocari nequit, quin quædam efficiantur a Deo, quæ sunt miracula.

§. 485. Occurrunt etiam nonnulli Syllogismi intricati, qui traditis superius regulis non convenire videntur, & tamen sua evidentia penitus persuadent; adeoque eorum probitas a quibusdam circumstantiis pendet, quæ in nonnullis casibus sunt observandæ: uti ex exemplis liquebit.

In

In rebus philosophicis rationi tantum credendum est.
Auctoritas cujuscumque etiam viri insignis non est ipsa ratio.
Ergo in rebus philosophicis auctoritati standum non est.

Hic ambæ præmissæ primo intuitu apparent esse negativæ: Nam vidimus in §. 407. vocem *tantum* efficere, ut propositio sit negativa: adeoque idem notat, ac si poneretur.

In rebus philosophicis credendum est rationi; & præter rationem, dicto & auctoritati cujuscunque acquiescere non debemus: Quæ propositio vere est negativa: Sed propositio minor, *Auctoritas cujuscunque non est ipsa ratio*: significat: *Auctoritas est altera res quam ipsa ratio*, quæ est vere affirmativa, non negativa: unde legitime infertur: Ergo *auctoritati standum non est*. Est nunc Syllogismus in FERIO primæ figuræ, adeoque propositio minor, quæ prima fronte apparebat negativa, sensu erat affirmativa, alioquin peccaret contra regulam §. 405.

§. 486. Verum si hujusmodi intricati casus disputationes inter Logicos excitent, evitari hæ poterunt, Syllogismos convertendo in hypotheticos, qui optimi erunt, & præsens casus sic exhibebitur.

Si in rebus philosophicis tantum rationi acquiescere debemus, auctoritati standum non est.
Sed in rebus phylosophicis tantum fidendum est rationi.

Ergo Auctoritati fidendum non est.

Ceteroquin propositus fuit Syllogismus hoc modo in figura secunda & rejectus.

Debemus acquiescere rationi,
Auctoritas non est ratio,
Ergo non debemus acquiescere auctoritati.

Rejectus fuit, quia in conclusione verba *Non debemus acquiescere* videntur conficere subjectum, & *Auctoritati* prædicatum: cum *Auctoritas* sit subjectum minoris. verum si convertatur in Syllogismum tertiæ figuræ FELAPTON valebit.

Ratio non est auctoritas,
Rationi fidendum est,
Ergo aliquid cui fidendum est non est auctoritas.

§. 487. Exemplum en aliud.

Quicunque est bonus pastor, paratus est animam ponere pro ovibus,
Sunt autem hoc seculo pauci pastores parati animam ponere pro ovibus,
Ergo sunt hoc seculo pauci boni pastores.

Quia in hoc Syllogismo medius terminus, *qui est paratus animam ponere pro ovibus*, fit bis prædicatum, erit Syllogismus in figura secunda: Sed oportet ut in ea alterutra præmissarum sit negativa per §. 452. In hoc Syllogismo autem ambæ apparent affirmativæ, adeoque non conve-

veniret regulis Syllogiſmi, quem tamen mens attenta non poteſt non approbare, potius regulas non ſufficientes judicatura: ſed in examine patebit Syllogiſmum eſſe in ſecunda figura, & in CAMESTRES, adeoque propoſitionem minorem & concluſionem eſſe negativam: quia vox *pauci* idem ſignificat ac *non multi*, proinde Syllogiſmus ſic ſtabit reductus.

Quicunque eſt bonus paſtor, paratus eſt animam ponere pro ovibus.
Non autem ſunt hoc ſeculo multi parati animam ponere pro ovibus.
Ergo non ſunt hoc ſeculo multi boni paſtores.

§. 488. Nonnunquam propoſitiones negativæ eſſe videntur, quarum ſenſus eſt affirmativus; unde concluſio affirmativa ex negativis collecta videtur in ſequenti exemplo.

Omnes illi, quibus eripi non poteſt quod amant, extra inimicorum inſidias ſunt poſiti.
Sed illis, qui Deum amant, eripi non poteſt quod amant.
Ergo qui Deum amant extra inimicorum inſidias ſunt poſiti.

In hoc Syllogiſmo verba, *quibus eripi non poteſt quod amant*, conſtituunt modo unum terminum, qui ope negativæ particulæ non ſeparatur ab altero, *extra inimicorum inſidias ſunt poſiti*, ſed conjungitur cum altero; adeoque tota

propositio est revera affirmativa: pari pacto propositio minor est affirmativa: unde conclusio affirmativa ex præmissis affirmantibus bene fuit subducta: præterea verba, *quibus eripi non potest quod amant*, idem significant, ac *qui certo tutove possident*: quæ vere sunt affirmantia; poterit igitur prior Syllogismus in sequentem converti.

Illi qui certo possident quæ amant, extra inimicorum insidias sunt positi.
Sed qui Deum amant, certo possident quæ amant.
Ergo qui Deum amant, extra inimicorum insidias sunt positi.

§. 489. Sunt alii Syllogismi qui ex negativis propositionibus videntur constare, & tamen sunt boni: quando aliquis terminus ex aliquot verbis compositus, in quibus particula negativa reperitur, consideratur ut aliquod totum, vel aliquod attributum reale: id igitur sic consideratum est revera affirmativum.

Quodcunque non intelligit non potest ratiocinari,
Quod est corporeum non intelligit,
Ergo quod est corporeum non potest ratiocinari.

Hic verba *non intelligit* tanquam unum totum considerantur, & ideo idem significant ac *brutum esse*; hinc propositio minor negativa non est, sed vere affirmativa. Simili modo comparatus est sequens Syllogismus.

Qui-

Quicquid non habet partes interire non potest dissolutione partium.
Sed mens humana non habet partes.
Ergo mens humana non potest interire dissolutione partium.

In hoc Syllogismo *non habere partes* consideratur ut totum aliquod, adeoque est vere affirmativum; idemque significat, ac *quod est mera unitas*: *quod est simplex*; proinde propositio minor est affirmativa, non negativa.

CAPUT QUINTUM.

De Inveniendo & ordinando termino Medio.

§. 490 HUcusque vidimus genera perfectorum & simplicium Syllogismorum, & quænam in iis, ut sint in forma, desiderantur: Tyronibus sæpe hæret aqua quemadmodum Syllogismos formabunt, regulis prioribus jam cognitis: artificium latet in inventione Termini medii, tum in eo ordinando: invento medio facillime conficitur Syllogismus: adeoque de inventione Medii quædam sunt dicenda.

§. 591. Conclusio est quæstio probanda: constat hæc ex subjecto & prædicato: ad utrumque seorsum erit attendendum.

§. 492. Capiendo subjectum, attendimus vel ad *Genus* ad quod pertinet: vel ad *proprietates*

ejus: vel ad *Definitionem* qua definiri solet: vel ad *specierum*, *aut partium enumerationem*: vel ad *Causas*: vel ad *Effectus*: vel ad *Oppositum*.

§. 493. Capiendo quæstionis prædicatum, investigandum erit ejus aliquod prædicatum, quod sit *proprietas*, vel *effectus ex eo fluens*, aut cum eo *conjunctum quid*.

§. 494. Ut tum ordinetur Medium, prius observandum, an quæstio sit propositio affirmativa, vel negativa: si enim affirmativa, medium est ordinandum ut formetur Syllogismus in prima, vel tertia figura. Si negativa fuerit, Syllogismus in tribus prioribus figuris poterit pro lubitu formari: poteruntque omnia simili schemati, ac hic propono, inscribi.

§. 495. Sit quæstio, *Nix inspecta lædit oculos*, quæ est affirmativa propositio.

Nix inspecta lædit oculos;	
Nix inspecta	*Vehementer replicat lucem*; *Est albissimi coloris*; *Fulget*.
Quicquid vehementer replicat lucem. *Quicquid est albissimi coloris*. *Quicquid fulget*.	*lædit oculos*.

Propositionem prius scribo, infra eam ducatur

tur linea, & relinquatur ſpatium cui inſcribi poſſit ſubjectum *Nix inſpecta*, & infra ſpatium ducatur iterum linea: tum ducatur alia recta deorſum, ubi deſinit inſcriptum ſubjectum, quæ tranſeat per ſpatium inferius; poſt hanc ſcribatur prædicatum, *lædit oculos*. Jam inveſtigentur proprietates ſubjecti, quæ inſcribantur Spatio primo; quales ſunt *Vehementer replicat lucem*, vel eſt *albiſſimi coloris*, vel *fulget*. In inferiori ſpatio inventæ proprietates capiantur univerſaliter, veluti: *Quicquid vehementer replicat lucem* &c. Jam formatus erit Syllogiſmus in prima figura, incipiendo ab inferiori ſpatio ſurſum, hoc modo.

Quicquid vehementer replicat lucem lædit oculos
Nix inſpecta vehementer replicat lucem
Ergo *Nix inſpecta lædit oculos*.

Poſſunt autem alia media, quæ inventa erant, ſubſtitui.

Si Syllogiſmum in tertia figura efformare voluiſſemus, media ſive proprietates ſubjecti eodem modo erant inveſtiganda, ſed tantum alio ſitu ſcribenda, veluti videre hic eſt.

Nix inſpecta lædit oculos

Corpus albiſſimi apparens coloris eſt	*Nix inſpecta*
Corpus albiſſimi apparens coloris	*lædit oculos*

Syl-

Syllogismus itaque formatus erit, incipiendo a propositione inferiori.

Corpus albissimi apparens coloris lædit oculos.
Corpus albissimi apparens coloris est Nix inspecta
Ergo aliqua nix inspecta lædit oculos.

In hoc Syllogismo ambo quæstionis termini sunt prædicata, & medium est utriusque subjectum.

§. 496. Si quæstio sit propositio negativa; veluti *Nix non perstat æstate*, poterunt confici Syllogismi in tribus figuris: Medium vero depromam ex Definitione subjecti, quod hic est *Nix*, quæ definienda est quod sit *Pluvia frigore & gelu constricta in glaciem*. Scribam igitur prius quæstionem, & ordinabo, prout sequentia Schemata ostendunt, pro tribus figuris.

Nix non perstat æstate.

Pluvia frigore & gelu in glaciem constricta non perstat æstate.
Sed Nix est pluvia, quæ frigore & gelu constricta est in glaciem.
Ergo nix non perstat æstate.

Pro secunda figura, in qua simul attendam ad prædicatum prædicati, quod constituet medium: id autem est prædicatum:

Quod perstat æstate	& hujus prædicatum erit, *igni solis resistere.*

Adeo-

Adeoque ſic ponatur

Nix non perſtat æſtate.

Quod perſtat æſtate	*igni ſolis reſiſtit.*
Nix	*igni ſolis non reſiſtit.*

Ergo Nix non perſtat æſtate.

Pro tertia figura vero medium capiatur a ſpecie ſubjecti, quod eſt Nix, cujus ſpecies eſt *floccus ſtellatus congelatus*. Quæſtio eſt *Nix non perſtat æſtate.*

Floccus ſtellatus congelatus	*eſt Nix.*
Floccus ſtellatus congelatus	*non perſtat æſtate.*

Ergo quædam nix non perſtat æſtate.

Hoc modo ſemper concinnari poſſunt Syllogiſmi, & media ordinari præſcripto modo; oportet tantum ut exempla ab aliis mediis deſumta proferam.

§. 497. Nunc medium depromatur a *partium enumeratione*. Quæſtio ſit, *Fungus eſt planta*, adeoque plantarum partes numerentur, quæ ſunt radix, caulis, folia, flores, fructus, ſemina, atque hoc modo formatus ſtabit Syllogiſmus:

Quicquid habet radices, caules, folia, flores, fructus, ſemina, eſt planta.
Sed fungus habet radices, caules, folia, flores, fructus, ſemina.
Ergo fungus eſt planta.

§. 498.

§. 498. Nunc medium depromatur ab *Effectu*. Quæstio sit, *Hostis depopulatus est urbem hanc*. *Effectus sunt populationis*, Incendia, Ruinæ, Rapinæ. Adeoque hæc constituent Medium.

Qui omnia in hac urbe incendit, disiecit, secumque sustulit, populatus est hanc urbem.
Sed hostis in hac urbe omnia incendit, disiecit, secumque sustulit.
Ergo hostis populatus est hanc urbem.

§. 499. Medium depromatur a *Causa operante*. Quæstio sit, *Mens humana est aliquid a corpore distinctum*.

Quicquid operatur in aliud corpus est aliquid a corpore distinctum.
Sed Mens mea operatur in aliud corpus.
Ergo Mens mea est aliquid a corpore distinctum.

§. 500. Quæstio sit: *Hoc in corpore non datur ignis*. Opposita sunt *calere* & *frigere*, a quibus depromatur medium.

Ubicumque datur frigus & abest calor, ibi non datur ignis.
Sed hoc in corpore datur frigus & abest calor.
Ergo hoc in corpore non datur ignis.

Vel sit quæstio: *Vacuum non habet resistentiam. vacuo* opponitur *plenum*, adeoque hoc plenum constituat Medium.

Ubi

Ubi datur resistentia, ibi datur plenum corporibus.
Ubi est vacuum, ibi non datur plenum corporibus.
Ergo ubi est vacuum, ibi non datur resistentia.

CAPUT SEXTUM.

De Syllogismis conjunctivis.

§. 501. S*Yllogismus conjunctivus* est cujus major propositio totam conclusionem continet.

§. 502. Conjunctivorum sunt aliquot genera. 1°. Conditionales. 2°. Disjunctivi. 3°. Copulativi. 4°. Relativi. 5°. Proportionales.

§. 503. A nonnullis Logicis hi Syllogismi ad Compositos relati fuerunt, quia quælibet propositio non semper est simplex, sed nonnunquam ex pluribus terminis constat: sæpe tamen tantum sunt tres termini, & tres propositiones, veluti in Simplicibus Syllogismis: tres modo sunt termini in sequenti exemplo.

Si Deus est, adorandus est.
Sed Deus est.
Ergo adorandus est.

Plures vero termini sunt in hoc Syllogismo:

Vel mens humana est producta a se, vel a parentibus, vel a suo corpore, vel a Deo.

Atqui

Atqui non est producta a se, nec a parentibus, nec a corpore suo.
Ergo mens humana est producta a Deo.

§. 504. Quoniam hujusmodi casus sunt admodum frequentes, merito Syllogismi Conjunctivi a Simplicibus distinguuntur: Sed accedit propria eorum nota, qua major totam conclusionem continet, exceptis Relativis: veluti in allatis exemplis, *Si Deus est, adorandus est*, vel *Mens humana est producta a se, vel a parentibus, vel a suo corpore, vel a Deo*. Conclusiones enim sunt: *Adorandus est*, tum & *Mens humana producta est a Deo*.

De Syllogismis Hypotheticis.

§. 505. *Syllogismus Conditionalis* vel *Hypotheticus* est qui constat ex propositionibus, in quarum altera suspenditur judicium, quod in altera ratum habetur: veluti.

Si Deus est est Ens independens,
Sed Deus est,
Ergo Est Ens independens.

In majori propositione suspenditur judicium,

Si Deus est, est Ens independens.

In minori ratum habetur judicium.

Sed Deus est.

æquivalet vero Syllogismus conditionalis huic Simplici. *Omnis*

Omnis Deus est Ens independens.
Quod in hoc mundo datur est Deus.
Ergo quod hoc in mundo datur est Ens independens.

§. 506. Propositio hypothetica est vel major, vel minor, vel major minor & conclusio simul. In sequenti est major sola hypothetica.

Si mens humana semper cogitat non impedita a corpore, semper operatur.
Sed mens humana semper cogitat non impedita a corpore,
Ergo mens humana semper operatur.

In sequenti minor est hypothetica.

Quicquid fato non regitur, fruitur libertate,
Sed mens fato non regitur,
Ergo mens fruitur libertate.

In sequenti major, minor, & conclusio simul est hypothetica.

Si mundus creatus non est, erit ab æterno,
Si mundus sit absolute perfectus, creatus non est,
Ergo si mundus sit absolute perfectus, erit ab æterno.

§. 507. Hic in Syllogismo hypothetico ad summum tres termini insunt.

§. 508. Si propositio major sit hypothetica, hæc totam conclusionem distincte expressam, sed

cum

cum aliqua conditione, seu suppositione conjunctam continet: veluti liquebit in hoc exemplo.

Si pii amore Dei pietatem colunt, funguntur officio.
Sed pii amore Dei pietatem colunt.
Ergo pii funguntur officio.

§. 509. Propositio major in hujusmodi Syllogismo ex duabus constat partibus, quarum prima appellatur *Antecedens*, quæ est: *Si pii amore Dei pietatem colunt*; Altera vocatur *Consequens*, quæ est, *funguntur officio*.

§. 510. Ut propositio major sit bona & vera, necesse est ut ambæ partes majoris sint propositiones veræ, tum ut antecedens necessariam bonamque connexionem habeat cum consequente, & ut hæc ex priori fluat: si vero partes binæ non necessario inter se cohæreant, non valet propositio: necessarius nexus est in his exemplis.

Si homines cogitant, mente sunt præditi.
Si corpora esse cœperunt, non sunt ab æterno.
Si datur Deus, erit Ens infinite perfectum.

Necessarius nexus vero abest sequentibus exemplis.

Si cœlum sit serenum, florent arbores.
Si aqua sit liquida, sol fulget in cœlo.

Quotiescunque necessario nexu non cohæret consequens cum antecedente, solent Logici dicere

Consequentiam majoris esse falsam. licet enim consequens sit propositio per se vera, non est propositio quæ fluit ex antecedente, aut cum ea cohæret.

§. 511. Si consequens rite cohæreat cum antecedente, tum propositio minor asserit antecedentem dari; adeoque consequentem etiam dari; veluti *Si Deus mundum creavit, hic erit dependens*: Jam minor est, in qua asseritur antecedens, *Sed Deus mundum creavit*: Unde fluit consequens, *Ergo hic erit dependens*.

§. 512. Erit igitur Syllogismus bonus, cum antecedens & consequens sunt propositiones veræ, & secum cohærent, atque minor antecedentem dari asseruerit, & tandem consequens consequentem collegerit; veluti,

Si homines cogitant, mente sunt præditi.
Sed homines cogitant.
Ergo mente sunt præditi.

§. 513. Sed Syllogismus non valebit, si consequens non cohæserit cum antecedente: uti,

Si aqua sit liquida, sol fulget in cœlo.
Sed aqua est liquida.
Ergo sol fulget in cœlo.

§. 514. Fieri potest ut nexu bono cohæreat consequens cum antecedente, & tamen vel alterutra, vel utraque propositio sit falsa: tum major est falsa, & totus Syllogismus non valet:

 nam

nam cum consequens fluat ex antecedente, ex hac falsa non potest sequi vera altera: uti in exemplis, ubi ambæ partes sunt falsæ.

Si spatium mundi sit finitum, limites terminantes habebit.
Si corpora infinita celeritate ferantur, totum spatium universi momento temporis percurrent.

In his exemplis altera est modo falsa.

Si mens humana perfectam cognitionem rerum omnium possideat, cognoscet quid sit punctum Mathematicum.
Si homines moriuntur, nihil de iis amplius superest.

§. 515. Syllogismus conditionalis quadruplici potest formari modo: nam constiterit major ex antecedente & consequente: tum propositio minor potest formari 1°. Ex antecedente asserta. 2°. Ex consequente asserta. 3°. Vel potest tolli antecedens. 4. Vel potest tolli consequens. uti videtur in his exemplis.

1°. *Si Sol solum nostrum illustrat, fruimur die.*
Sed Sol solum nostrum illustrat.
Ergo fruimur die.

2°. *Si sol solum nostrum illustrat, fruimur die.*
Sed fruimur die.
Ergo Sol solum nostrum illustrat.

3. Si

3°. *Si Sol ſolum noſtrum illuſtrat, fruimur die.*
Sed Sol Solum noſtrum non illuſtrat.
Ergo non fruimur die.

4°. *Si Sol ſolum noſtrum illuſtrat, fruimur die,*
Sed non fruimur die.
Ergo Sol ſolum noſtrum non illuſtrat.

§. 516. Ex his quatuor caſibus ſunt tantum duo boni & legitimi, qui ſunt 1. Poſito antecedente ponitur conſequens, tum 4. Sublato conſequente tollitur antecedens.

§. 517. Primum caſum valere, *Poſito antecedente ponitur conſequens*, probatur; quia ſi ambę propoſitiones neceſſario nexu cohærent, & antecedens ſit vera, non poteſt non conſequens eſſe vera, quia hæc fluit ex antecedente: cum igitur in propoſitione minori ponitur antecedens; in concluſione neceſſario fluit conſequens. In Scholis brevitatis ergo poſt enunciatam majorem ſolet dici, *Atqui verum prius, ergo & poſterius*. veluti:

Si homo ſibi eſſe non dedit, id accepit ab alio.
Atqui verum prius,
Ergo & poſterius.

§. 518. Caſum quartum valere, *Sublato conſequente tollitur antecedens*, probatur: quia in majori conſequens cum antecedente ponitur neceſſario nexu cohærere: ſi nunc conſequens propoſitio ſit chimærica vel falſa; antecedens, quæ cum ea cohæ-

 ret,

ret, etiam debet esse chimærica vel falsa. vel consideretur consequens tanquam effectus, qui fluat ex antecedente ut causa: posito effectu ponitur necessario causa, sed sublato effectu, non potest superesse causa, adeoque & hæc tollenda erit: veluti

Si Sol sit ejus magnitudinis & figuræ ac apparet, erit orbis pedalis magnitudinis.
Atqui non est orbis pedalis magnitudinis.
Ergo sol non est ejus magnitudinis & figuræ ac apparet.

Brevitatis ergo in Scholis Syllogismus enunciari solet post memoratam majorem, *Atqui falsum consequens; Ergo & antecedens.* Veluti, *Si spatia cælestia sint plena corporibus, nullus per ea fieri poterit motus. Atqui falsum consequens, ergo & antecedens.*

§. 519. Casus secundus & tertius in §. 515. non valent quod ad casum secundum, in quo posito consequente poneretur antecedens, & rejiciendum eum esse sic liquet. Consequens est species prædicati, & antecedens species subjecti: prædicatum vero in propositione affirmativa non sumitur latius, quam subjectum, hoc est non secundum totam suam extensionem: Cum vero in minori propositione illud prædicatum sumitur universaliter, capitur universalius quam in majori; idcirco non ita fluit ex subjecto in majori, & proinde non valet conclusio quæ est antecedens;

nam

nam caperetur conclusio universalius quam est in præmissis: veluti patet in exemplo,

Si Americani sunt Mahumedani, sunt infideles,
Atqui sunt infideles,
Ergo sunt Mahumedani.

Majoris sensus proprie est: Si Americani sunt Mahumedani, sunt aliqui infideles. Verum in minori ponitur universaliter, atqui sunt infideles

Præterea examinanti apparet, hoc modo Syllogismo conditionali plures quam tres terminos inesse, quod est contra §.507. Nam termini sunt 1°. Americani. 2°. Mahumedani, 3°. Aliqui infideles. 4°. Omnes infideles.

Insuper patet non posse valere hunc Syllogismum, quippe si redigatur in Syllogismum Figuræ secundæ, hoc modo formaretur,

Mahumedani sunt infideles,
Americani sunt infideles,
Ergo Americani sunt Mahumedani.

Conclusio hic est affirmativa, quæ in secunda figura semper debet esse negativa.

§.520. Eadem omnia locum habent, si Syllogismus hypotheticus habuerit consequentem negativam: veluti.

Si Americani sunt Mahumedani, non sunt Christiani,
Atqui non sunt Christiani,
Ergo sunt Mahumedani.

Majoris enim propositionis sensus est: *Si Americani sunt Mahumedani, sunt aliqui eorum qui non sunt Christiani*: adeoque particulares aliqui. Verum in minori sumitur hoc universaliter, *non sunt Christiani*; adeo ut revera quatuor termini hic dentur.

Mahumedani non sunt Christiani
Americani non sunt Christiani
Ergo Americani sunt Mahumedani.

Ex duabus negativis præmissis nihil concludi potest ex §. 405. multo minus affirmative.

§. 521. Evenit nonnunquam, ut in Syllogismo conditionali, si posito consequente ponatur antecedens, omnes propositiones sint veræ, adeo ut prima fronte Syllogismus inspectus appareat bonus, qui tamen examinatus, aut ad Categoricum reductus, revera non valet; jam tantum casu accidit, ut omnes propositiones in Syllogismo sint veræ: veluti in hoc exemplo.

Si mundus regitur providentia, Deus existit,
Atqui Deus existit,
Ergo mundus regitur providentia.

Omnes hujus Syllogismi propositiones sunt veræ: sed conversus in Categoricum sic stat:

Quodcunque regitur providentia, probat Deum existere.
Sed mundus probat Deum existere.
Ergo mundus regitur providentia.

Est

Est Syllogismus in secunda figura, qui peccat contra §.452. cum alterutra præmissarum debeat esse negativa, quæ binæ hic sunt affirmativæ.

§. 522. Quod jam ad casum attinet tertium in §. 515. qui est alter ex iis qui non valet, non licet tollere antecedentem, ut quoque tollatur consequens. Sit enim major affirmativa, tum consequens, quæ est instar prædicati propositionis affirmativæ, sumitur particulariter: id tamen seorsum sumtum est latioris extensionis; adeoque sublata propositione antecedente, sive subjecto, pars quidem illa prædicati, quæ huic subjecto conveniebat, poterat tolli, non vero totum prædicatum, quod tamen in conclusione tollitur, veluti in Exemplo,

Si Americani sunt Mahumedani, sunt infideles.
Sed non sunt Mahumedani.
Ergo non sunt infideles.

Manifestum est terminum *infideles* in majori significare *aliquos infideles*: Cum in conclusione negativa vox *infideles* capitur universaliter, adeoque latius quam erat in præmissis: unde revera quatuor termini huic Syllogismo insunt. 1°. Americani. 2°. Mahumedani. 3°. Aliqui infideles 4°. Omnes infideles.

Præterea patebit vitium, si reducatur in Syllogismum Categoricum hunc.

Quicunque ſunt Mahumedani, ſunt infideles.
Sed Americani non ſunt Mahumedani.
Ergo Americani non ſunt infideles.

Non valet Syllogiſmus hic, qui eſt in prima figura, cujus minor eſt negativa, nam per §.438. debet eſſe minor affirmativa.

§.523. Si major in Syllogiſmo hypothetico ſit negativa, ſive ſola antecedens, ſive antecedens & conſequens ſimul, etiam non licet tollere antecedentem, ut tollatur conſequens; quin plures termini quam tres ingrediantur Syllogiſmum, adeo ut iterum non valeat: veluti in hoc exemplo,

Si Americani non ſunt Mahumedani, poſſunt ſalvari.
Sed ſunt Mahumedani.
Ergo Americani non poſsunt ſalvari.

Termini hic ſunt 1°. Americani. 2°. Non Mahumedani. 3°. Poſſunt ſalvari. 4°. Mahumedani. 5°. Non poſſunt ſalvari.

Si pii non peccant, non damnabuntur.
Sed pii peccant.
Ergo damnabuntur.

Termini hic ſunt 1°. pii. 2°. non peccant. 3°. peccant. 4°. non damnabuntur. 5°. damnabuntur.

Imo non poteſt reduci in Syllogiſmum Categoricum, cujus concluſio eſt affirmativa, *pii dam-*

damnabuntur, nisi præmissæ ambæ fuerint affirmativæ: hic autem major est negativa, qua posita conclusio affirmativa esse nequit: quare & ob hanc rationem non valent propositi hi Syllogismi.

§. 524. Nonnunquam tamen licet tollere antecedentem, ut tollatur quoque consequens, si nempe antecedens fuerit propositio falsa, tum consequens, quæ cum priori cohærebat, etiam est falsa; recte igitur tollitur antecedens falsa, ut tollatur quoque consequens falsa: uti

Si animus humanus sit corporeus, erit extensus.
Sed animus humanus non est corporeus,
Ergo etiam non erit extensus.

§. 525. Possunt Syllogismi hypothetici constare ex meris negantibus, nam major potest constare ex antecedente & consequente negativa: cum ergo in minori ponitur antecedens negativa, ut quoque ponatur in conclusione consequens negativa, Syllogismus necessario ex meris negantibus componetur, & valebit. veluti

Si tempestas anni non semper sit eadem, Sol non continuo versatur in æquatore.
Sed tempestas anni non semper est eadem.
Ergo Sol non versatur continuo in æquatore.

§. 526. Si Syllogismus hypotheticus habuerit minorem hypotheticam, hisce modis efferri solet:

Qui-

Quicunque rempublicam servavit, æternam meretur famam.
Si Cicero rempublicam servavit, æternam meretur famam.

Vel hoc modo:

Quicunque rempublicam servavit, æternam meretur famam.
Si ergo M. T. Cicero rempublicam servavit, æternam meretur famam.

§. 527. Syllogismi conditionales a directis Categoricis differunt; sunt enim tantum apparatus ad conclusiones, non autem directe concludunt, sed tantum hypothetice, adeo ut probanda quędam restent: cum autem sunt breves, nec multum a consueto ratiocinandi modo differunt, pręferendi erunt vulgaribus Syllogismis.

Quicunque regnum suum amplificavit, inter Heroes est adscribendus.
Si ergo Augustus regnum suum amplificavit, inter Heroes est adscribendus.

Potest concedi totum argumentum, ex eo enim non fluit Augustum amplificasse suum regnum, adeo ut Heroibus fuerit adnumerandus; etiamsi concedatur, si regnum amplificaverit, inter Heroes eum esse reponendum.

§. 528. Omnis Syllogismus Categoricus verti potest in hypotheticum adjecta voce *Si*, & omnis

hypo-

hypotheticus §.526. verti poteſt in Categoricum rejecta voce *Si*; veluti:

Quisquis vitia præfert virtutibus, non eſt honeſtus.
Titius vitia præfert virtutibus.
Ergo Titius non eſt honeſtus.

Converſus in hypotheticum Syllogiſmus ſic ſe habet.

Quisquis vitia præfert virtutibus, non eſt honeſtus
Si ergo Titius vitia virtutibus præfert, non eſt honeſtus.

† † †

Si animus poteſtatem pro lubitu agendi habet, liber eſt.
Sed animus habet eam.
Ergo liber eſt.

Converſus in Categoricum ſic ſtat Syllogiſmus.

Quicquid habet poteſtatem agendi pro lubitu, eſt liber.
Animus humanus habet poteſtatem agendi pro lubitu.
Ergo animus humanus eſt liber.

§.529. Cum Syllogiſmi Categorici tam facile vertantur in Hypotheticos, hi ſubjicientur regulis Categoricorum antea traditis, quamvis propter nonnullas propoſitionum conditiones hinc inde ab iis recedant. Qui ergo hypothetici incur-

currunt in Categoricorum regulas non valebunt: veluti qui forent in prima figura, & majorem habent particularem.

Aliquis Spiritus est creatus.
Ergo si quicquid cogitat est Spiritus.
Erit quicquid cogitat creatum.

Cum deberet esse.

Quodcunque est spiritus nostro similis est creatum.
Ergo si quicquid cogitat sit spiritus nostro similis,
Erit, quicquid cogitat, creatum.

De Syllogismis Disjunctivis.

§. 530. *Syllogismus Disjunctivus* vel *Diezeuticus* est, cujus propositio major constat variis membris, particula disjunctiva *aut* conjunctis, & continet minorem, ac conclusionem.

Aut prodesse volunt, aut delectare poëtæ.
Prodesse non volunt.
Ergo delectare.

§. 531. Syllogismorum horum natura in eo consistit, ut prædicata, quæ subjecto competere possunt, omnia, vel quæ sibi sunt opposita, enumerentur in propositione majori: Si tum in minori afferatur unum convenire subjecto; tum in conclusione alia omnia negantur de eodem:

dem: vel si in minori omnia prædicata, excepto uno, convenire negantur, in conclusione id, quod exceptum erat, affirmatur de subjecto.

§. 532. Quia propositio major ad minimum ex duabus constat, tanquam membris, potest minori æque inservire primum membrum ac secundum: conclusio tum semper continebit alterum membrum, quod minori non inest.

Qui Julium Cæsarem occiderunt vel erant parricidæ, aut libertatis vindices.
Sed erant parricidæ.
Ergo non erant libertatis vindices.

† †

Qui Julium Cæsarem occiderunt, vel erant parricidæ, aut libertatis vindices.
Sed erant libertatis vindices.
Ergo non erant parricidæ.

§. 533. Possunt propositionis majoris ambo membra esse affirmativa, uti in exemplis allatis §. 532. vel alterum negativum.

Vel homines virtutem amant, aut non amant.
Vel corpora omnia totius universi non moventur, aut omnia moventur.

§. 534. Quando subjectum plurium prædicatorum est capax, oportet ut omnia enumerentur, tumque major fit vel trimembris, vel plurium membrorum: in minori vel unum ponitur,

tur, ut reliqua in conclusione tollantur, vel omnia excepto uno tolluntur, ut unum in conclusione ponatur; veluti:

Aut est Ver, aut Æstas, aut Autumnus, aut Hyems.
Sed est Ver.
Ergo non est Æstas, nec Autumnus, nec Hyems.

† †

Aut est Ver, aut Æstas, aut Autumnus, aut Hyems.
Sed nec est Æstas, nec Autumnus, nec Hyems.
Ergo est Ver.

§. 535. Quando plura membra in minori, aut in conclusione ponuntur vel tolluntur, hæc pro uno membro haberi possunt; uti in priori exemplo: *Sed nec est Æstas, nec Autumnus, nec Hyems.* nec refert sive minor, sive conclusio ex hujusmodi terminis constiterit.

§. 536. Quotiescunque in his Syllogismis omnia membra non enumerantur, major propositio est incompleta, & totus Syllogismus vitiosus; adeoque merito negatur major: frequentissime hujusmodi vitia committuntur, tam ob non enumerata membra, quam quod bona oppositio inter prædicata non detur: ideo peccat Syllogismus sequens.

Vel prodesse volunt, aut delectare Poëtæ.

Cum quoque interdum nocere cupiant Satyris, aliosve scopos habuerint.

§. 537. Oppositio bona datur, quando status sunt directe contrarii, nec quidam intermedii, adeo ut unus ponat, quod alter tollit: uti

Vel hoc in loco est sonus, vel silentium.
Vel corpora moventur, vel quiescunt.
Vel homo est a se, vel ab alio.

Pleræque oppositiones ita sunt comparatæ, ut si unum membrum ponatur, alterum adjecta particula negativa *non* negetur:

Vel Milo occidit Clodium, vel non occidit.
Vel Cajus operatur, vel non operatur.

§. 538. Quando bonæ dantur oppositiones, Syllogismi vix possunt fieri vitiosi; nam in minori ponitur primum, aut secundum membrum majoris, & in conclusione alterum tollitur; aut contra: uti,

Vel mens semper cogitat, aut non semper cogitat.
Atqui mens semper cogitat.
Ergo falsum est, eam non semper cogitare.

§. 539. Sæpissime autem non datur bona oppositio, ubi tamen prima fronte apparet: uti, *Vel nox est, vel dies.* quod falsum est, cum status dari possunt intermedii, uti *Crepusculum matutinum & crepusculum vespertinum. Virgo est pulcra vel deformis*, etiam non valet, quia dantur statæ, atque innumeri gradus inter pulcritudinem & deformitatem intermedii.

§. 540. Ideo in hisce Disjunctivis summa attentione & peritia opus est, tam in condendis, quam refutandis Syllogismis, quoniam non valent omisso tantum uno membro; non autem nisi admodum versatus in scientiis omnes casus materiæ obviæ perpendendo invenit.

De Syllogismis Copulativis.

§. 541. *Syllogismi Copulativi* propositio major negativa ex duabus constat propositionibus, quæ copula & conjunguntur, quarum altera in minori ponitur, ut altera in conclusione tollatur.

Nullus Jurisconsultus tulit, & abrogavit easdem leges.
Sed servius Tullius tulit leges de dotibus.
Ergo easdem non abrogavit.

§. 542. Non autem minor debet esse negativa; tum enim membrum evertitur; sed ab unius eversione ad alterius affirmationem argumentari non licet, quia tum utrumque potest esse falsum: multo minus ab unius eversione ad alterius eversionem pergendum, quia illorum unum potest poni, rejecto altero: idcirco vitiosus est sequens Syllogismus; in quo minor & conclusio falsa.

Nullus Jurisconsultus tulit & abrogavit easdem leges.
Sed Cicero non abrogavit leges de dotibus,
Ergo Cicero easdem tulit.

Nec

Nec valet sequens Syllogismus:

Nullus Jurisconsultus tulit & abrogavit easdem leges.
Sed Servius Tullius non abrogavit leges de dotibus.
Ergo easdem non tulit.

§. 543. Patet horum Syllogismorum vitium, quia quando vertuntur in Syllogismos Categoricos primæ figuræ, minor evaderet negativa, quæ debet esse affirmativa; & ideo oportet, ut minor in Copulativo Syllogismo ponat alterum membrum, ut alterum in conclusione tollatur, quia major membro negativo constat. Conversus præcedens Syllogismus in Categoricum sic stabit:

Quicunque Jurisconsultus tulit leges de dotibus, eas non abrogavit.
Sed Servius Tullius tulit leges de dotibus.
Ergo eas non abrogavit.

De Syllogismis Relativis.

§. 544. *Syllogismus Relativus est*, cujus propositio major duobus constat membris, quæ relationem inter se habent: In minori autem adjungitur prædicatum subjecto primi membri in majore, idemque prædicatum in conclusione adjungitur subjecto secundi membri in majore: veluti:

Qualis princeps talis subditus,
Sed princeps est pius & castus,
Ergo subditus est quoque pius & castus.

† † †

Ubi thesaurus ibi est cor hominis.
Sed thesaurus est in arca.
Ergo cor hominis est in arca.

§. 545. In Syllogismis relativis propositio minor semper est minus universalis quam major; nam subjectum propter prædicatum in minori additum restringitur; atque ita alterum subjectum majoris in conclusione etiam restringitur: prædicatum autem, quod subjectis in majori adjungitur, est universale; & complectitur sub se prædicatum minoris, quod si non foret, plures quam tres termini Syllogismo inessent.

§. 546. Syllogismi relativi valent modo in laxioribus, non in strictis ratiociniis; non enim necessario verum est, ut sit talis subditus qualis est princeps; quia sæpe piorum principum subditi sunt impii, & malorum principum subditi probi.

De Syllogismis Analogicis.

§. 547. *Syllogismi Analogici* vel *proportionales* parum differunt a Relativis; eorum major bimembris est; primum vero membrum continet

simi-

ſimilitudinem, quæ in minori ulterius explicatur: ut alterum membrum majoris in concluſione clarius intelligatur.

Ut ſe ad columnam habet baſis, ita ad rempublicam juſtitia.
At ſubducta baſi evertitur columna.
Ita ſublata juſtitia evertitur reſpublica.

† † †

Veluti Matheſis eſt fundamentum Philoſophiæ, ita Anatomia eſt Medicinæ:
Quare neglecta Matheſi jacet Philoſophia.
Ita neglecta Anatomia jacet Medicina.

CAPUT SEPTIMUM.

De Syllogiſmis Compoſitis, & de Sorite.

§. 548. Omnes Syllogiſmi, qui ex pluribus, quam tribus propoſitionibus componuntur, vocantur *Compoſiti*.

§. 549. Hujuſmodi ſunt *Sorites*, *Proſyllogiſmus*, *Epicherema*, *Dilemma*, *Syllogiſmus biformis*.

§. 550. *Sorites* eſt Syllogiſmus compoſitus ex variis propoſitionibus, quarum quælibet bimembris eſt, & quæ ita ſunt ordinatæ, ut prædicatum præcedentis propoſitionis evadat ſubjectum ſequentis, adeo ut tandem ex ſubjecto

primæ propositionis, & ex prædicato ultimæ formetur conclusio.

Qui justas fert leges, hominum societati prodesse studet.
Qui hominum societati prodesse studet, saluti proborum prospicit.
Qui saluti proborum prospicit, malos coercet.
Qui malos coercet, virtutem defendit.
Ergo qui justas fert leges, virtutem defendit.

§. 551. Quando Sorites ex propositionibus Categoricis constat, in quibus subjectum fuit præcedentis propositionis prædicatum, vocatur *Sorites Categoricus*, quale est traditum exemplum.

§. 552. Inventor Soritæ fuit Chrysippus. Sorites vocatus fuit a Persio *Acervus*, a Cicerone *Syllogismus Acervalis*, tum *Cumulus*, quia plurimæ intermediæ ideæ inter subjectum & prædicatum accumulantur: nulli autem limites numero intermediarum propositionum sunt positi: ad minimum Sorites constat ex quatuor propositionibus; si enim tantum ex tribus componeretur, foret Syllogismus Categoricus in quarta figura, uti apparet in exemplo præcedenti.

Qui justas fert leges, hominum societati prodesse studet.
Qui hominum societati prodesse studet, saluti proborum prospicit.
Ergo qui saluti proborum prospicit, justas fert leges.

§. 553.

§. 553. Requiritur in Sorite, ut ultima propositio sit conclusio: hoc modo differt a figura Rhetorica, quæ Climax, vel Gradatio appellatur; utpote in qua plurium quidem propositionum congeries deprehenditur, & prædicatum propositionis præcedentis pariter fit subjectum propositionis sequentis, sed sine ulla conclusione: in Sorite autem propositio ultima est vera conclusio, & ideo nota *Ergo* apponitur, quæ non datur in gradatione Rhetorica, unde hæc non annumeratur Syllogismis Logicis. Præterea in Sorite subjectum primæ propositionis fit subjectum Conclusionis, adeoque repetitur in Conclusione, quod non fit in gradatione Rhetorica.

§. 554. Est in omni fere propositione subjectum minus universale prædicato: quoniam in Sorite prædicatum propositionis præcedentis fit subjectum sequentis, propositiones sequentes erunt universaliores præcedentibus, ita ut gradatim a minus universalibus ad magis universalia fiat adscensus: tandem vero subjectum primæ propositionis conjungitur cum prædicato universalissimo ultimæ.

Omnis homo est animal terrestre.
Omne animal terrestre est Ens corporeum.
Omne Ens corporeum est substantia finita.
Omnis substantia finita est creata.
Ergo omnis homo est creatus.

§. 555. Resolvi potest Sorites in Syllogismos simplices, ex quibus componitur: hi autem omnes sunt Syllogismi primæ figuræ, adeoque ordine inverso ac in Sorite ponendi: nam major terminus in Sorite secundo habetur loco, qui in Syllogismo Categorico primo ordine enunciatur: veluti in hoc exemplo.

1.

Omne animal terrestre est Ens corporeum.
Omnis homo est animal terrestre.
Ergo omnis homo est Ens corporeum.

2.

Omne Ens corporeum est substantia finita,
Omnis homo est Ens corporeum,
Ergo omnis homo est substantia finita.

3.

Omnis substantia finita est creata,
Omnis homo est substantia finita,
Ergo omnis homo est creatus.

§. 556. Constat Sorites ex tot simplicibus Syllogismis, quot sunt propositiones intermediæ inter primam & ultimam; sive ex tot, quot sunt in Sorite propositiones, minus duabus: adeoque si Sorites quinque constiterit propositionibus, in tres Categoricos Syllogismos resolvi poterit: si terminos medios Soritæ quoque colligamus, totidem Syllogismos simplices etiam conficere

po-

poterimus. In allato exemplo tria media insunt. 1. Animal terrestre. 2. Ens corporeum. 3. Substantia finita. Adeo ut ex his tres Syllogismi construi possint.

§. 557. Patet ex hac resolutione Soritæ in Syllogismos simplices, Soritem esse compendium argumentandi, atque ita esse insignis utilitatis.

§. 558. Ex resolutione Soritæ in simplices Syllogismos primæ figuræ patet, leges illius figuræ esse observandas, ut Sorites sit bonus. Quando igitur constat ex propositionibus affirmantibus, oportet ut eæ ita secum connectantur, ut secunda necessario nexu cohærescat cum prima; tertia cum secunda, & sic porro: Quia id quod est universalius colligi nequit ex minus universali, nisi id necessario nexu fuerit subordinatum, qualis est inter individua & species, inter species & genera; hujusmodi nexus in Sorite rite est observandus.

§. 559. Sorites nititur hoc fundamento: si omne A est B, & omne B est C, & omne C est D, & omne D est E, omne A erit E. nam ponitur A = B. & B = C. & C = D, & D = E, ergo A = E.

§. 560. Datur quoque Sorites hypotheticus, in quo si plures fuerint propositiones hypotheticæ, ita comparatæ, ut consequens unius sit continuo antecedens proxime sequentis; tum posito antecedente primæ, ponitur consequens ultimæ.

Si corporum exordiis non insit potestas, qua sibi esse dent, procreata sunt.

Si procreata sunt, autorem habent Deum.
Si autorem habent Deum, a Deo dependent.
Ergo si corporum exordiis non insit potestas, quæ sibi esse dent, a Deo dependent.

§. 561. Potest Sorites hypotheticus etiam in Syllogismos hypotheticos resolvi hoc modo.

1.

Si corporum exordiis non insit potestas, quæ sibi esse dent, procreata sunt.
Atqui verum prius.
Ergo & posterius.

2.

Si corporum exordia procreata sunt, Deum autorem habent.
Atqui verum prius.
Ergo & posterius.

3.

Si corporum exordia Deum autorem habent, a Deo dependent.
Atqui verum prius.
Ergo & posterius.

§. 562. Videmus in resolutione Soritæ hypothetici non necessarium esse, ut propositio secunda fiat major, sed ut propositiones eodem ordine, ac in Sorite erant, ponantur.

§. 563. Fundamentum hujus hypotheticæ ar-

gu-

gumentationis est, quod si fuerint plures propositiones hypotheticæ, ita comparatæ, ut consequens unius sit antecedens proxime sequentis, tum posito antecedente primæ, rite ponitur consequens ultimæ.

§. 564. Est etiam *Sorites Crypticus*, sive cujus genuina forma non apparet, qui constat ex propositionibus crypticis, uti oblique universalibus, indefinitis, infinitis, & aliis, quæ hypotheticis æquipollent; veluti,

Ubi amori, ibi nullus odio locus est.
Ubi locus odio non est, ibi exulat gaudium ob infelicitatem alterius.
Ubi exulat gaudium ob infelicitatem alterius, ibi studium nocendi abest.
Ergo ubi amori locus est, ibi studium nocendi abest.

§. 565. Oportet ut in omni Sorite semper maneat eadem terminorum significatio, quæ si in aliqua propositione inmutetur, non valet Sorites.

Qui amicum decipit, hominem offendit.
Qui hominem offendit, eum sauciat.
Qui aliquem sauciat, contra leges agit.
Qui contra leges agit, tuetur libertatem.
Ergo qui amicum decipit, tuetur libertatem.

Terminorum hic bis variatio: 1°. hominem offendere, notat injuria afficere, & in altera propositione notat pulsare. Contra leges agere notat transgredi legem, & in altera propositione pero-

perorare adversus leges; unde non potest non absurda sequi conclusio.

§. 566. Quotiescunque propositio falsa ingreditur Soritem, totus ab ea fit vitiosus, veluti enim falsa propositio Syllogismum Categoricum corrumpit, ita corrumpet Soritem; si penultima propositio fuerit falsa, unus modo error inficiet conclusionem; sed si propositio quædam anterior fuerit falsa, error plures errores post se trahet, adeo ut absurdissima tandem evadat conclusio.

Quicunque est pius, colit Deum.
Qui Deum colit, eum toto animo veneratur.
Qui eum toto animo veneratur, sibi ejus imaginem vivide repræsentat.
Qui ejus imaginem sibi vivide repræsentat, eum sub forma senis intuetur.
Ergo quicunque est pius, Deum sub forma senis intuetur.

In hoc sorite tertia & quarta propositio est falsa, unde fluit tam absurda conclusio.

§. 567. Prima propositio Soritæ poterit esse particularis, & conclusio particularis: verum vitiosus erit sorites, si plures propositiones particulares eum ingrediuntur, aut aliqua intermedia fuerit particularis: nam si resolvatur hujusmodi in Syllogismos Categoricos, erit aliquis in prima figura, cujus major foret particularis, contra §. 439. & si plures fuerint particulares

in

in Sorite, Syllogismus Categoricus inde formatus ex particularibus propositionibus constaret, quod incurrit in §. 410. Valet sequens Sorites

Aliquis Philosophus docuit dari Atomos,
Omnis atomus est corpusculum minimum indivisibile,
Quod est corpusculum minimum indivisibile, est semper ejusdem magnitudinis & formæ,
Ergo aliquis Philosophus docuit dari aliquid, quod semper est ejusdem magnitudinis & figuræ.

Sed non valet sequens Sorites.

Aliqui Christiani colunt virtutem,
Qui colunt virtutem, sunt aliqui modo, qui eam norunt,
Aliqui qui eam norunt, eam vehementer amant,
Ergo aliqui Christiani eam vehementer amant.

Non valere Soritem patet, si resolvatur in Categoricos, nam hi ex particularibus propositionibus componentur.

I.

Qui colunt virtutem sunt aliqui modo qui eam norunt,
Aliqui Christiani colunt virtutem,
Ergo aliqui Christiani sunt aliqui modo qui eam norunt.

2.

Aliqui qui eam norunt, eam vehementer æstimant.
Aliqui Christiani sunt aliqui modo, qui eam norunt.
Ergo aliqui Christiani sunt aliqui modo, qui eam vehementer æstimant.

§. 568. Etiam non valet Sorites, quando ejus propositiones continent terminos metaphoricos, & improprios; aut cum propositiones non necessario nexu inter se cohærent, sed tantum per accidens; ideo non valet sequens Sorites.

Quicunque stilum alterius in scribendo sequitur, alterum imitari conatur,
Qui alterum imitari conatur, est ejus simia,
Sed simia est animal rationis expers,
Ergo quicunque stilum alterius in scribendo sequitur, est animal rationis expers.

§. 569. Plerumque Sorites componitur ex propositionibus affirmativis, id tamen necesse non est, cum negativam in se recipere possit, modo hæc præcedat immediate conclusionem; sed si negativa in alio loco intermedio fuerit posita, non valet Sorites; multo minus si plures negativæ eum ingrediuntur.

Qui scientiis navat operam, evadit doctus,
Qui doctus evadit, sibi aliisque prodesse potest,
Qui sibi aliisque prodesse potest, non est e republica proscribendus, Er-

Ergo qui ſcientiis navat operam, non eſt e republica proſcribendus.

Valet hic Sorites, quia quando reſolvitur in Syllogiſmos Categoricos primæ figuræ, ultimus recipit propoſitionem majorem negativam, quales in figura prima Syllogiſmi in CELARENT & FERIO recipiunt: Verum quando intermedia quædam negativa eſt in Sorite, tum in reſolutione ejus in Categoricos primæ figuræ, Syllogiſmus aliquis minorem reciperet negativam, quod eſt contra §. 438.; ideo ſi duas propoſitiones negantes reciperet, hoc idem obtineret, & præterea ultimus Syllogiſmus ex meris negantibus præmiſſis componeretur, ex quibus Concluſio formari non poteſt: & ideo non valet ſequens ſorites.

Ubi eſt firma ſocietas, ibi dantur leges.
Ubi dantur leges, homines conſtringuntur ad obſervantiam.
Quicunque homines conſtringuntur ad obſervantiam, non fruuntur libertate.
Qui non fruuntur libertate, ſunt homines non felices.
Ergo ubi eſt firma ſocietas, ibi homines non ſunt felices.

Cum vero Sorites reſolvitur in Categoricos patebit illico vitium.

Ubi

† † †

Quicquid habet initium, non est perfectum,
Quicquid creatum est, habet initium,
Ergo quicquid creatum est, non est perfectum.
Deus est perfectus,
Ergo quicquid creatum est, non est Deus.

Rarior est Prosyllogismi usus, sed efformandus est ad leges præcedentium Syllogismorum, cum sit compendium modo duorum vulgarium Syllogismorum in unum conjunctorum.

De Epicheremate.

§. 572. *Epicherema* est Syllogismus, cujus præmissis propositionibus ratio, qua probantur, statim adjicitur.

Quodcunque est corporeum, est impenetrabile: nam ideo resistit cuicunque potentiæ prementi, nec cedit, ceteroquin pressione reduceretur in nihilum.
Sed hæc spongia est corporea, cum habeat omnia attributa corporum omnium cognitorum & examinatorum.
Ergo hæc spongia est impenetrabilis.

§. 573. In disputationibus Scholasticis raro in usum vocatur Epicherema, quoniam propter adjunctas rationes probatorias prolixior fit, quam ut facile repeti possit: præterea negari non modo possunt præmissæ, uti aliorum Syllogis-

logiſmorum, ſed quoque rationes probatoriæ, quæ additæ ſunt; unde fit aberratio ab argumento, quæ ſummopere eſt evitanda: eum enim in finem ars argumentandi fuit inventa, & in uſum redacta.

De Dilemmate.

§. 574. *Dilemma* eſt ratiocinatio ex pluribus propoſitionibus compoſita, in cujus majori totum dividitur in omnes partes, deinde infertur affirmando vel negando de omnibus, quod illatum erat e ſingulis.

Omne triangulum eſt vel rectilineum, curvilineum, vel mixtilineum.
Omne rectilineum modo poteſt habere tres angulos.
Omne curvilineum etiam tantum habet tres angulos.
Omne mixtilineum etiam habet modo tres angulos.
Ergo nullum datur Triangulum, quod plures quam tres angulos habet.

§. 575. Vocatur Dilemma, quia hoc argumento ab utraque parte capitur adverſarius: tum quia ſæpe propoſitio major ex duobus membris conſtat: Dictus etiam eſt *Syllogiſmus Cornutus*, quaſi utroque cornu inſtar bovis vel cervi feriat, ut ſine periculo apprehendi nequeat; & quia latet occultum virus, dictus eſt etiam *Crocodilinus*. N §. 576.

§. 555. Resolvi potest Sorites in Syllogismos simplices, ex quibus componitur: hi autem omnes sunt Syllogismi primæ figuræ, adeoque ordine inverso ac in Sorite ponendi: nam major terminus in Sorite secundo habetur loco, qui in Syllogismo Categorico primo ordine enunciatur: veluti in hoc exemplo.

1.

Omne animal terrestre est Ens corporeum.
Omnis homo est animal terrestre.
Ergo omnis homo est Ens corporeum.

2.

Omne Ens corporeum est substantia finita,
Omnis homo est Ens corporeum,
Ergo omnis homo est substantia finita.

3.

Omnis substantia finita est creata,
Omnis homo est substantia finita,
Ergo omnis homo est creatus.

§. 556. Constat Sorites ex tot simplicibus Syllogismis, quot sunt propositiones intermediæ inter primam & ultimam; sive ex tot, quot sunt in Sorite propositiones, minus duabus: adeoque si Sorites quinque constiterit propositionibus, in tres Categoricos Syllogismos resolvi poterit: si terminos medios Soritæ quoque colligamus, totidem Syllogismos simplices etiam conficere po-

poterimus. In allato exemplo tria media insunt. 1. Animal terrestre. 2. Ens corporeum. 3. Substantia finita. Adeo ut ex his tres Syllogismi construi possint.

§. 557. Patet ex hac resolutione Soritæ in Syllogismos simplices, Soritem esse compendium argumentandi, atque ita esse insignis utilitatis.

§. 558. Ex resolutione Soritæ in simplices Syllogismos primæ figuræ patet, leges illius figuræ esse observandas, ut Sorites sit bonus. Quando igitur constat ex propositionibus affirmantibus, oportet ut eæ ita secum connectantur, ut secunda necessario nexu cohærescat cum prima; tertia cum secunda, & sic porro: Quia id quod est universalius colligi nequit ex minus universali, nisi id necessario nexu fuerit subordinatum, qualis est inter individua & species, inter species & genera; hujusmodi nexus in Sorite rite est observandus.

§. 559. Sorites nititur hoc fundamento: si omne A est B, & omne B est C, & omne C est D, & omne D est E, omne A erit E. nam ponitur A = B. & B = C. & C = D, & D = E, ergo A = E.

§. 560. Datur quoque Sorites hypotheticus, in quo si plures fuerint propositiones hypotheticæ, ita comparatæ, ut consequens unius sit continuo antecedens proxime sequentis; tum posito antecedente primæ ponitur consequens ultimæ.

Si corporum exordiis non insit potestas, qua sibi esse dent, procreata sunt,

Si procreata sunt, autorem habent Deum.
Si autorem habent Deum, a Deo dependent.
Ergo si corporum exordiis non insit potestas, qua sibi esse dent, a Deo dependent.

§. 561. Potest Sorites hypotheticus etiam in Syllogismos hypotheticos resolvi hoc modo.

1.

Si corporum exordiis non insit potestas, qua sibi esse dent, procreata sunt.
Atqui verum prius.
Ergo & posterius.

2.

Si corporum exordia procreata sunt,
Deum autorem habent.
Atqui verum prius.
Ergo & posterius.

3.

Si corporum exordia Deum autorem habent, a Deo dependent.
Atqui verum prius.
Ergo & posterius.

§. 562. Videmus in resolutione Soritæ hypothetici non necessarium esse, ut propositio secunda fiat major, sed ut propositiones eodem ordine, ac in Sorite erant, ponantur.

§. 563. Fundamentum hujus hypotheticæ argu-

gumentationis est, quod si fuerint plures propositiones hypotheticæ, ita comparatæ, ut consequens unius sit antecedens proxime sequentis, tum posito antecedente primæ, rite ponitur consequens ultimæ.

§. 564. Est etiam *Sorites Crypticus*, sive cujus genuina forma non apparet, qui constat ex propositionibus crypticis, uti oblique universalibus, indefinitis, infinitis, & aliis, quæ hypotheticis æquipollent; veluti,

Ubi amori, ibi nullus odio locus est.
Ubi locus odio non est, ibi exulat gaudium ob infelicitatem alterius.
Ubi exulat gaudium ob infelicitatem alterius, ibi studium nocendi abest.
Ergo ubi amori locus est, ibi studium nocendi abest.

§. 565. Oportet ut in omni Sorite semper maneat eadem terminorum significatio, quæ si in aliqua propositione inmutetur, non valet Sorites.

Qui amicum decipit, hominem offendit.
Qui hominem offendit, eum sauciat.
Qui aliquem sauciat, contra leges agit.
Qui contra leges agit, tuetur libertatem.
Ergo qui amicum decipit, tuetur libertatem.

Terminorum hic bis variatio: 1°. hominem offendere, notat injuria afficere, & in altera propositione notat pulsare. Contra leges agere notat transgredi legem, & in altera propositione pero-

perorare adversus leges; unde non potest non absurda sequi conclusio.

§. 566. Quotiescunque propositio falsa ingreditur Soritem, totus ab ea fit vitiosus, veluti enim falsa propositio Syllogismum Categoricum corrumpit, ita corrumpet Soritem; si penultima propositio fuerit falsa, unus modo error inficiet conclusionem; sed si propositio quædam anterior fuerit falsa, error plures errores post se trahet, adeo ut absurdissima tandem evadat conclusio.

Quicunque est pius, colit Deum.
Qui Deum colit, eum toto animo veneratur.
Qui eum toto animo veneratur, sibi ejus imaginem vivide repræsentat.
Qui ejus imaginem sibi vivide repræsentat, eum sub forma senis intuetur.
Ergo quicunque est pius, Deum sub forma senis intuetur.

In hoc sorite tertia & quarta propositio est falsa, unde fluit tam absurda conclusio.

§. 567. Prima propositio Soritæ poterit esse particularis, & conclusio particularis: verum vitiosus erit sorites, si plures propositiones particulares eum ingrediuntur, aut aliqua intermedia fuerit particularis: nam si resolvatur hujusmodi in Syllogismos Categoricos, erit aliquis in prima figura, cujus major foret particularis, contra §. 439. & si plures fuerint particulares

in

in Sorite, Syllogismus Categoricus inde formatus ex particularibus propositionibus constaret, quod incurrit in §. 410. Valet sequens Sorites

Aliquis Philosophus docuit dari Atomos,
Omnis atomus est corpusculum minimum indivisibile,
Quod est corpusculum minimum indivisibile, est semper ejusdem magnitudinis & formæ,
Ergo aliquis Philosophus docuit dari aliquid, quod semper est ejusdem magnitudinis & figuræ.

Sed non valet sequens Sorites.

Aliqui Christiani colunt virtutem,
Qui colunt virtutem, sunt aliqui modo, qui eam norunt,
Aliqui qui eam norunt, eam vehementer amant,
Ergo aliqui Christiani eam vehementer amant.

Non valere Soritem patet, si resolvatur in Categoricos, nam hi ex particularibus propositionibus componentur.

I.

Qui colunt virtutem sunt aliqui modo qui eam norunt,
Aliqui Christiani colunt virtutem,
Ergo aliqui Christiani sunt aliqui modo qui eam norunt.

2.

Aliqui qui eam norunt, eam vehementer æstimant.
Aliqui Christiani sunt aliqui modo, qui eam norunt.
Ergo aliqui Christiani sunt aliqui modo, qui eam vehementer æstimant.

§. 568. Etiam non valet Sorites, quando ejus propositiones continent terminos metaphoricos, & improprios; aut cum propositiones non necessario nexu inter se cohærent, sed tantum per accidens; ideo non valet sequens Sorites.

Quicunque stilum alterius in scribendo sequitur, alterum imitari conatur,
Qui alterum imitari conatur, est ejus simia,
Sed simia est animal rationis expers,
Ergo quicunque stilum alterius in scribendo sequitur, est animal rationis expers.

§. 569. Plerumque Sorites componitur ex propositionibus affirmativis, id tamen necesse non est, cum negativam in se recipere possit, modo hæc præcedat immediate conclusionem; sed si negativa in alio loco intermedio fuerit posita, non valet Sorites; multo minus si plures negativæ eum ingrediuntur.

Qui scientiis navat operam, evadit doctus,
Qui doctus evadit, sibi aliisque prodesse potest,
Qui sibi aliisque prodesse potest, non est e republica proscribendus, Er-

Ergo qui ſcientiis navat operam, non eſt e republica proſcribendus.

Valet hic Sorites, quia quando reſolvitur in Syllogiſmos Categoricos primæ figuræ, ultimus recipit propoſitionem majorem negativam, quales in figura prima Syllogiſmi in CELARENT & FERIO recipiunt: Verum quando intermedia quædam negativa eſt in Sorite, tum in reſolutione ejus in Categoricos primæ figuræ, Syllogiſmus aliquis minorem reciperet negativam, quod eſt contra §. 438.; ideo ſi duas propoſitiones negantes reciperet, hoc idem obtineret, & præterea ultimus Syllogiſmus ex meris negantibus præmiſſis componeretur, ex quibus Concluſio formari non poteſt: & ideo non valet ſequens ſorites.

Ubi eſt firma ſocietas, ibi dantur leges.
Ubi dantur leges, homines conſtringuntur ad obſervantiam.
Quicunque homines conſtringuntur ad obſervantiam, non fruuntur libertate.
Qui non fruuntur libertate, ſunt homines non felices.
Ergo ubi eſt firma ſocietas, ibi homines non ſunt felices.

Cum vero Sorites reſolvitur in Categoricos patebit illico vitium.

1.

Ubi dantur leges, homines constringuntur ad observantiam.
Sed ubi est firma societas, ibi dantur leges.
Ergo ubi est firma societas, ibi homines constringuntur ad observantiam.

2.

Quicunque homines constringuntur ad observantiam, non fruuntur libertate,
Sed ubi est firma societas, ibi homines constringuntur ad observantiam,
Ergo ubi est firma societas, ibi homines non fruuntur libertate.

3.

Qui non fruuntur libertate, non sunt homines felices.
Ubi est firma societas, homines non fruuntur libertate.
Ergo ubi firma est societas, homines non sunt felices.

Constat hic ultimus Syllogismus ex meris negantibus, ideoque incurrit in §. 405.

§. 570. Sed si Sorites fuerit hypotheticus, ex meris negativis propositionibus componi potest, quia per §. 525. Syllogismi hypothetici ex meris negantibus constare possunt: veluti in sequenti Sorite patebit.

Si

Si mens humana non habeat potestatem se producendi, non est a se.
Si non sit a se, non est a causa impotentiore.
Si non sit a causa impotentiore, non est a mero corpore.
Si non sit a mero corpore, non erit a nihilo.
Ergo si mens humana non habeat potestatem se producendi, non erit a nihilo.

De Prosyllogismo.

§. 571. *Prosyllogismus* est, quando duo Syllogismi quinque propositionibus ita continentur, ut conclusio prioris sit major vel minor sequentis Syllogismi: in primo exemplo conclusio est major sequentis: in secundo est minor sequentis Syllogismi.

Omnis actio, quæ lege naturali est prohibita, est fugienda.
Omnis nimius labor est actio lege naturali prohibita,
Ergo omnis nimius labor est fugiendus.
Sed studium litterarum perpetuum noctu diuque est nimius labor.
Ergo studium litterarum perpetuum noctu diuque est fugiendum.

Quic-

† † †

Quicquid habet initium, non est perfectum,
Quicquid creatum est, habet initium,
Ergo quicquid creatum est, non est perfectum.
Deus est perfectus,
Ergo quicquid creatum est, non est Deus.

Rarior est Prosyllogismi usus, sed efformandus est ad leges præcedentium Syllogismorum, cum sit compendium modo duorum vulgarium Syllogismorum in unum conjunctorum.

De Epicheremate.

§. 572. *Epicherema* est Syllogismus, cujus præmissis propositionibus ratio, qua probantur, statim adjicitur.

Quodcunque est corporeum, est impenetrabile: nam ideo resistit cuicunque potentiæ prementi, nec cedit, ceteroquin pressione reduceretur in nihilum.
Sed hæc spongia est corporea, cum habeat omnia attributa corporum omnium cognitorum & examinatorum.
Ergo hæc spongia est impenetrabilis.

§. 573. In disputationibus Scholasticis raro in usum vocatur Epicherema, quoniam propter adjunctas rationes probatorias prolixior fit, quam ut facile repeti possit: præterea negari non modo possunt præmissæ, uti aliorum Syllogis-

logismorum, sed quoque rationes probatoriæ, quæ additæ sunt; unde fit aberratio ab argumento, quæ summopere est evitanda: eum enim in finem ars argumentandi fuit inventa, & in usum redacta.

De Dilemmate.

§. 574. *Dilemma* est ratiocinatio ex pluribus propositionibus composita, in cujus majori totum dividitur in omnes partes, deinde infertur affirmando vel negando de omnibus, quod illatum erat e singulis.

Omne triangulum est vel rectilineum, curvilineum, vel mixtilineum.
Omne rectilineum modo potest habere tres angulos.
Omne curvilineum etiam tantum habet tres angulos.
Omne mixtilineum etiam habet modo tres angulos.
Ergo nullum datur Triangulum, quod plures quam tres angulos habet.

§. 575. Vocatur Dilemma, quia hoc argumento ab utraque parte capitur adversarius: tum quia sæpe propositio major ex duobus membris constat: Dictus etiam est *Syllogismus Cornutus*, quasi utroque cornu instar bovis vel cervi feriat, ut sine periculo apprehendi nequeat; & quia latet occultum virus; dictus est etiam *Crocodilinus*. N §. 576.

§. 576. Dilemma sæpe speciem Syllogismi hypothetici habet, cujus major si fuerit affirmativa, conclusio erit negativa: Si majoris antecedens negativa, erit conclusio affirmativa.

Si ages cum populo, vel bene, vel male ages.
Si bene, populo eris invisus.
Si male, displicebis Deo.
Ergo agendum cum populo non est.

† · † · †

Si Deus non habet sua attributa perfecta, vel ea perfecta habere non potuit, vel non voluit.
Sed dici nequit, Deum non potuisse habere attributa sua perfecta, cum sit omnipotens.
Itidem dici nequit, eum noluisse habere attributa perfecta, cum sit infinite sapiens, atque omne Ens intelligens perfectionem adspiret.
Ergo Deus necessario habet omnia sua attributa perfecta.

§. 577. Differt dilemma a Syllogismo hypothetico vulgari; is enim hoc modo conficeretur.

Si agendum cum populo, vel bene vel male agendum,
Sed agendum est cum populo,
Ergo bene vel male agendum.

§. 578. Differt Dilemma a Syllogismo disjunctivo, quoniam in propositione minori afferuntur difficultates, aut expenduntur rationes,

nes, quæ in quolibet membro majoris insunt; hæ in Syllogismo disjunctivo non afferuntur; qui hoc modo formaretur.

Vel agendum bene cum populo, vel male,
Sed bene est agendum cum populo,
Ergo non male.

Quia autem expenduntur rationes membrorum majoris in minori, accedit Dilemma aliquantum ad Epicherema, a quo tamen differt, cum in eo non fit enumeratio & divisio membrorum in partes.

§. 579. Dilemmatis propositio major ex duobus ad minimum terminis constat: si ex tribus componatur, *Trilemma* appellatur: si ex quatuor *Tetralemma*. Trilemma est sequens.

Deus cuncta creavit, vel ea sumendo ex sua substantia, vel ex substantia a se diversa, vel ex nihilo.

Si creata sumpserit ex sua substantia, bonitas ejus maxima est, cum non impellebatur ad res extra se ex sua substantia depromendas.

Si ex substantia a se diversa efformaverit Deus cuncta, iterum patet ejus bonitas, quod in extraneam substantiam operari voluerit.

Si Deus ex nihilo cuncta creaverit, etiam ejus eminet bonitas, tum enim nihil ipsum impulit ad ea producenda.

Ergo ab omni parte in creatione omnium rerum patet Dei bonitas.

§. 580. Tetralemma est sequens:

Libri omnes merentur legi, nam continent vel res utiles, vel honestas, vel religiosas, vel jucundas.
Si contineant res utiles, merentur omnino legi.
Si res honestas, merentur legi ad addiscendam virtutem.
Si religiosas contineant, merentur legi propter pietatem.
Si jucundas res complectantur, merentur legi ad exhilarandum animum.
Ergo libri omni modo merentur legi.

§. 581. In Dilemmate propositio major constat vel ex membris sibi oppositis, vel est totum divisum in partes, vel genus in omnes species. Quot autem sunt membra in majori, totidem sunt in minori; & cuicumque membro adjicitur ratio probatoria, vel improbatoria, quæ in conclusione repetitur.

Ex membris sibi oppositis constat dilemma, quo Christus usus est adversus militem sibi alapam infligentem.

Aut male sum locutus, aut bene.
Si male, testimonium perhibe de malo.
Si bene, cur me cædis?

In sequenti dilemmate est totum divisum in partes.

Id

Id quod in corpore animali est organum sensorium, vel est Cuticula, vel Cutis, vel Nervus, vel Membrana, vel Musculus, vel Os, &c.

In sequenti dilemmate est Genus divisum in species.

Quæcumque substantiæ corporeæ in terra crescunt, sunt vel Vegetabilia, vel Animalia, vel Fossilia, &c.

§. 582. In bonis Dilemmatibus requiritur, 1°. ut in majori omnia membra, quæ totum componunt, enumerentur, omissis enim nonnullis committitur error; 2°. ut membra sibi sint vere opposita, & se mutuo excludant; 3°. ut rationes in minori afferantur veræ, & quæ rite concludant; ex rationibus enim falsis legitima conclusio formari nequit: vitiosa itaque sunt dilemmata, in quibus hoc observatum non est, veluti est in sequenti.

Vel ducenda est uxor, vel non ducenda.
Si aliquam duxeris, erit vel pulcra, vel deformis.
Si formosam duxeris, zelotypiam pariet, ergo: hæc non ducenda.
Si deformem duxeris, erit tædio, nec hæc ducenda.
Ergo nulla ducenda erit uxor.

Non valet hoc dilemma, quia in majori non enumerantur omnes partes; quæ sunt, vel est *pulcra* vel *deformis*: sunt enim innumeræ intermediæ mulieres, inter formosas & deformes, quæ ap-

 pel-

pellantur *Statæ*: præterea falsæ sunt rationes minoris; nempe formosam parituram Zelotypiam, cum possit esse casta & prudens. 2°. falsum est deformem fore tædio, cum possit esse sapiens, dives, nobilis, & multis ornata virtutibus.

§. 583. Etiam requiritur in bono Dilemmate, ut ita sit comparatum, ut retorqueri nequeat; retorsione enim est refutatum: veluti modo præcedens dilemma sic retorquebitur.

Imo ducenda est uxor.
Si enim formosam duxero, electio mea laudabitur, forma mihi semper placebit: ergo talis ducenda.
Si deformem duxero, uxor cognita sua deformitate mihi blandire, inservire, & placere studebit omni ope, atque me efficere beatissimum, adeoque & talis ducenda.
Ergo semper ducenda est uxor.

§. 584. Celebrata est retorsio Dilemmatis, cujus meminit Agellius L. 5. C. 10. Noct. Att. de Protagora, cui Evathlus discipulus in mercedem, quandam pecuniæ summam promiserat, eo solvendam die, quo in causa quam ageret, primum victor foret: cumque prima illa causa esset, quæ de pecunia solutione erat, Evathlus hoc dilemmate est usus.

Aut cadam hac causa, aut superior evadam.
Si cadam, nihil tibi ex pacto debeo.
Si superior evadam, nihil ex sententia.
Ergo nulla occasione tibi aliquid debebo.

Pro-

Protagoras vero ita retorsit.

Aut cades hac causa, aut superior evades.
Si cadas, debebis ex sententia.
Si victor evadas; debebis ex pacto.
Ergo omni modo solvere debebis.

Judices id, quod utrimque dicebatur, dubiosum & inexplicabile rati, rem injudicatam reliquerunt, & distulerunt in longissimum diem.

De Syllogismo Biformi.

§. 585. *Syllogismus Biformis* appellatur, cujus major constat ex diversis partibus. In minori autem omnes partes majoris attribuuntur uni subjecto, aliquæ tantum partes alteri subjecto; in conclusione ambo subjecta minoris reperiuntur.

Omnis Medicus a Theoria & Praxi instructus præstat Medico sola Theoria instructo.
Sed Galenus est Medicus Theoria & Praxi instructus, Craanius sola Theoria.
Ergo Galenus præstat Craanio.

§. 586. Syllogismus biformis in simplices Categoricos facile resolvi potest.

I.

Omnis Medicus a Theoria & Praxi instructus præstat Medico tantum Theoriam callente,
Sed Galenus est Medicus a Theoria & Praxi instructus,

Ergo Galenus præstat Medico tantum Theoriam callente.

2.

Medicus tantum Theoriam callens est Craanius.
Sed Galenus præstat Medico tantum Theoriam callente.
Ergo Galenus præstat Craanio.

§. 587. Quoniam Syllogismus biformis revera duos in se concludit Syllogismos Categoricos, potest compendium argumentandi appellari.

CAPUT OCTAVUM

De Syllogismis Imperfectis, de Enthymemate.

§. 588. SYllogismi Imperfecti sunt *Enthymema, Inductio, Exemplum, Testimonium.* Imperfecti appellantur, quia in iis aliquid deest sive ad plenam argumentationem, vel ad demonstrationem.

§. 589. *Enthymema* est argumentatio, in qua ex una propositione præmissa, & ex altera subintellecta, colligitur conclusio.

§. 590. Enthymema Græce dicebatur ἐνθύμημα, quia ἐν θυμῷ in animo retinetur quædam propositio, quæ brevitatis ergo supprimitur in sermone; cum supponitur facile ab unoquoque propter evidentiam suppleri posse: Quoniam hujus

Syl-

Syllogismi genuina forma non apparet, vocatur Syllogismus crypticus: veluti cum dixero.

Aurum est Metallum,
Ergo Aurum est grave.

† † †

Quicunque tacet consentire videtur
Ergo Titius consentire videtur.

§. 591. Propositio expressa vulgo appellatur *Antecedens*, conclusio *Consequens*.

§. 592. Enthymema vel esse Syllogismus potest Categoricus, vel Hypotheticus, vel Disjunctivus.

Categoricus est: *Homines peccant,*
Ergo Homines non semper Deum ante oculos ponunt.

Hypotheticus est: *Si Mens perpetuo cogitat, nunquam otiatur,*
Ergo Mens nunquam otiatur.

Disjunctivus est: *Vel Dies est, vel non.*
Ergo nunc non est nox.

§. 593. Hi imperfecti Syllogismi perficiuntur, omissas propositiones supplendo, veluti in exemplis §. 590.

Omne metallum est grave,
Aurum est metallum,
Ergo Aurum est grave.

Qui-

† † †

Quicunque tacet, conſentire videtur.
Titius tacet.
Ergo Titius conſentire videtur.

§. 594. In Enthymemate aliquando omittitur propoſitio major, aliquando minor.

Major in ſequenti deficit:

Mens cogitat.
Ergo eſt Spiritus.

Minor deficit in hoc.

Omne corpus eſt grave,
Ergo Aër eſt gravis.

§. 595. Quoniam in Syllogiſmo Categorico præmiſſarum quælibet continet alteram partem concluſionis, in Enthymemate antecedens quælibet continebit partem concluſionis: Si proinde in Enthymemate terminus communis cum Antecedenti, tum concluſioni fuerit ſubjectum concluſionis, deficit terminus major: Si terminus communis Antecedenti & concluſioni fuerit prædicatum concluſionis, deficit terminus minor.

§. 596. Quotieſcunque occurrit Enthymema, id ſemper perficiendum eſt, ut obſervetur, an quidem argumentum ſit in forma: quod extemplo non apparet, & in errores facile aliquem conjicere poſſet.

§. 597.

§. 597. Si ergo antecedens fuerit universalis, & affirmativa, erit Argumentum in prima figura : veluti,

Quicquid cogitat est Spiritus.
Ergo mentes humanæ sunt Spiritus.

Perfici enim potest argumentum hoc modo. Terminus communis Antecedenti & Conclusioni est *Spiritus*, qui est prædicatum conclusionis : mentes humanæ constituunt subjectum conclusionis: terminus medius proinde est *cogitat*. In hoc Enthymemate deficit minor, quæ debet constare ex subjecto conclusionis, & ex medio : adeoque minor erit, *Mentes humanæ cogitant*; & perfectus erit Syllogismus,

Quicquid cogitat est Spiritus.
Mentes humanæ cogitant.
Ergo mentes humanæ sunt Spiritus.

Est hic necessario in prima figura, quia est conclusio affirmativa & universalis. Sed si Enthymema sequens fuisset :

Omnes pii amant Deum.
Ergo omnes pii sunt felices.

Terminus communis hic est *omnes pii*, qui constituunt subjectum conclusionis, & subjectum minoris: *amant Deum* non invenitur in conclusione, adeoque est terminus medius; & prædicatum conclusionis *felices* in majori debet esse : adeoque

Qui

Qui amant Deum sunt felices, componet majorem: unde perfectus sic erit Syllogismus in prima figura.

Qui amant Deum sunt felices.
Omnes pii amant Deum.
Ergo omnes pii sunt felices.

§. 598. Si conclusio sit particularis, & antecedentis atque conclusionis terminus communis fuerit prædicatum in Antecedente, & subjectum in Conclusione, erit Syllogismus in tertia figura: quia tum antecedens est minor; in tertia vero figura medius terminus bis sit subjectum, adeo ut cum subjectum conclusionis sit prædicatum præmissæ, istæ terminus in minori sit reperiendus

Omnes pii sunt homines,
Ergo quidam homines amant Deum.

Syllogismus perfectus sic stabit:

Omnes pii amant Deum,
Omnes pii sunt homines,
Ergo quidam homines amant Deum.

§. 599. Si prædicatum Antecedentis & Conclusionis fuerit terminus communis, poterit esse Enthymema in prima, vel in tertia figura.

Omnes probi colunt virtutem.
Ergo quidam homines colunt virtutem.

Sic formabitur in prima figura.

Omnes

Omnes probi colunt virtutem,
Quidam homines sunt probi,
Ergo quidam homines colunt virtutem.

Sed sic stabit in tertia figura.

Omnes probi colunt virtutem,
Omnes probi sunt homines,
Ergo aliqui homines colunt virtutem.

§. 600. Si antecedens propositio fuerit major, & particularis, Enthymema erit in Tertia Figura: Nam non potest esse in prima Figura, quia in ea major semper est universalis, nec potest esse in Figura secunda, adeoque tantum erit in tertia.

Aliqui homines excolendo ingenium sunt eruditi.
Ergo aliqui a natura imperiti excolendo ingenium sunt eruditi.

Reductus in Syllogismum perfectum sic stabit:

Aliqui homines excolendo ingenium sunt eruditi.
Omnes homines a natura sunt imperiti.
Ergo aliqui a natura imperiti excolendo ingenium sunt eruditi.

§.601. Si Conclusio sit negativa, & terminus qui in antecedente est communis cum conclusione, atque hic terminus fuerit in Antecedente subjectum, in conclusione prædicatum, tum Enthymema est in Figura secunda,

Nul-

Nullum corpus cogitat,
Ergo nullus ſpiritus eſt corpus.

Completus Syllogiſmus hoc pacto ſe habebit.

Nullum corpus cogitat.
Omnis ſpiritus cogitat.
Ergo nullus ſpiritus eſt corpus.

§.602.Si concluſio ſit negativa & terminus communis fuerit in utraque propoſitione ſubjectum, poteſt in prima vel ſecunda eſſe Figura.

Omne Quadratum habet quatuor angulos.
Ergo nullum Quadratum eſt Triangulum.

Perficietur hoc modo pro prima figura.

Nihil quod habet quatuor angulos,eſt Triangulum
Omne Quadratum habet quatuor angulos,
Ergo nullum Quadratum eſt Triangulum.

Perficietur Syllogiſmus in ſecunda figura.

Nullum Triangulum habet quatuor angulos,
Omne Quadratum habet quatuor angulos,
Ergo nullum Quadratum eſt Triangulum.

§.603. Quando in Enthymematis antecedente & concluſione nulli termini communes dantur, poterit perfici in Syllogiſmum hypotheticum:Contineat enim Enthymema in hypothetico propoſitionem minorem & concluſionem, tum non datur terminus communis: Nam minor

nor continet unam partem majoris, & conclusio alteram.

Medicus remediis tollit morbos.
Ergo ægrotis restituit valetudinem.

Perficietur in Syllogismum hoc modo.

Si Medicus remediis tollit morbos, ægrotis restituit valetudinem.
Sed Medicus remediis tollit morbos.
Ergo ægrotis restituit valetudinem.

§. 604. Quando antecedens & consequens habent idem subjectum, Enthymema Syllogismi hypothetici est idem ac Enthymema Categorici, hoc est poterit perfici æque in Syllogismum hypotheticum, ac in Categoricum.

Deus est a se.
Ergo Deus est independens.

Perficiatur in Hypotheticum,

Si Deus est a se, est independens.
Sed Deus est a se.
Ergo Deus est independens.

Perfici potest in Categoricum.

Quicunque est a se, est independens.
Deus est a se.
Ergo Deus est independens.

De

De Inductione.

§ 605. *Inductio* est argumentatio, in qua ex partibus ad totum adſcenditur, atque ex ſingularibus vel minus univerſalibus concluſio generalis infertur. Cum pars Civitatis religionem ardenter excolit, concludo, Ergo Civitas illa religionem ardenter colit. Quoniam Medicus aliquo medicamento tres quatuorve ægrotantes a quodam morbo curavit eodem tempore, concludit illud medicamentum ſemper propulſurum illum morbum. Quia omnia explorata huc uſque corpora ſunt gravia, concludo univerſaliter: Ergo omnia corpora ſunt gravia.

Cognitio humana incipit a ſingularibus: res omnes, quæ univerſum hoc componunt, non cognoſcuntur ſimul, ſed tantum ſingulæ ſucceſſive cum ſenſibus, tum intellectu addiſcuntur: poſt aliquam comparatam cognitionem ſingularium rerum, animus addiſcit formare conceptus univerſales, & pertæſus lenta acquiſitione ſcientiæ, ejuſque imperfectione, quæ de ſingularibus habetur, feſtinat ad univerſalem cognitionem, uſus Inductione, concluditque ex pauciſſimis univerſaliter; ex individuis concludit ad ſpecies, ex ſpeciebus ad genera.

§. 606. In Inductione proinde contrario ordine incedimus ac in Syllogiſmis perfectis, in quibus a generalibus deſcendimus ad particularia, vel ſingularia: veluti *Omnes homines ſunt peccatores.*

tores. Ergo *Petrus est peccator*. Sed in Inductione concludimus, omnes esse peccatores, quia Petrus, Paulus, Jacobus &c. sunt peccatores. Quia humana cognitio à singularibus incepit, patet Inductionem fuisse argumentationem omnium primo in usum vocatam.

§. 607. *Inductio completa* est, quando omnes casus, qui existunt in natura, vel qui concipi possunt in scientiis idealibus, enumerantur: veluti:

Omnis angulus rectilineus est vel acutus, vel rectus, vel obtusus:

§. 608. *Incompleta* est quando omnes casus non enumerantur.

§. 609. In scientiis idealibus sæpe completæ inductiones formari possunt, sæpe non: completa erit, si attendero ad Trianguli latera; & enumeravero *Triangula æquilatera*, *Isoscelia*, vel *Scalena*: sed sæpe occurrit incompleta, veluti in Mathematicis nemo potuit enumerare omnes curvarum species, licet multæ innotuerint. Sed Inductiones sunt admodum incompletæ, quæ formantur ex cognitione & enumeratione rerum in hoc mundo existentium, quia nequaquam omnes, sed tantum paucæ hucusque cognoscuntur: sive spiritus, sive alia considerentur: Ideo admodum periculosum est, universaliter concludere ex paucis cognitis; hinc innumeri oriuntur errores in scientia rerum na-

O tu-

turalium: cognitum erat ante paucos annos, amputationem capitis vulnere lethali afficere omnia animalia cognita, unde decollatio habita lethalis; sed est inductio erronea, cum plurima jam innotuerunt animalia, quæ decollari, imo in partes multas secari possint, vita cujuslibet partis superstite, & parte quacunque recrescente in totum animal.

Licet autem inductiones fiant incompletæ, non carent omni utilitate: nam possunt tamdiu admitti, donec aliquod inferius, vel diversum adducatur, in quo universalitas Inductionis limitatur, vel patitur exceptionem: in moralibus ac politicis vix aliter pergere liceret; & ideo sufficit si inductio plerorumque casuum observatione nitatur.

§. 610. Non necesse est, ut Inductio formetur ex affirmantibus propositionibus, cum & possit componi ex meris negantibus, veluti in sequenti exemplo.

Nullum animal, quod graditur in terra, est sensus expers;
Nullum volatile, nullum natatile, nullum reptile, nullum amphibium, nullum zoophyton.
Ergo nullum animal est sensus expers.

§. 611. Si Inductio afferatur completa, tum ostendendum est omnibus inferioribus, quæ ingrediuntur Inductionem, competere id quod affirmatur.

Si

Si autem Inductio sit incompleta, colligimus aliquid quoque competere illi rei, quoniam competit omnibus similibus: Uti cum omni humano fætui in lucem prodeunti & viventi insit anima, colligo quoque monstro huic vivo, & e muliere prognato inesse animam.

§. 612. Si Inductionem in Syllogismum vulgarem convertere voluerimus, oportet ut omnia ejus membra capiamus collective, ponendo id universaliter esse verum de omnibus quod convenit singulis, tumque conclusio vel universalis, vel particularis sequetur.

De Exemplo.

§. 613. ***Exemplum* est imperfecta inductio, qua ex uno, vel altero singulari & cognito, colligitur regula universalis observanda in sequentibus casibus.**

Codrus pro patria fortiter occubuit: Igitur tibi pro patria fortiter occumbendum est.

† † †

Demosthenes balbutiens magno labore linguæ vitium superavit.
Ergo omnis balbutiens simili labore idem vitium superabit.

† † †

Christus amore erga fratres, ne illi morerentur, mortem obiit:

Ergo nobis propter amorem fraternum mors quoque obeunda est.

§. 614. Inest hujusmodi exemplis aliquid ponderis ad persuadendum, præcipue si copiosa & similia fuerint, tum a sapientibus & illustribus viris petita, aut felicissimi secuti eventus. Sed non demonstrant, nec ullæ necessariæ sequelæ ex iis fluunt: Quia nulli fere sunt casus sibi perfecte similes, quin circumstantiarum & temporum detur varietas; ideo conclusiones universales ex iis formare non semper licet.

De Testimonio.

§. 615. *Testimonium* est adducta autoritas unius vel plurium aliquid testantium, ad colligendam conclusionem, quæ aliunde peti non posset, aut non tam promte formari.

§. 616. Inest testimonio nonnunquam multum ponderis, adeo ut penitus illi acquiescamus, si omnia, quæ ad bonum testimonium requiruntur, simul adsint.

§. 617. Ut igitur testimonium sit perfectum, requiritur 1°. ut testis ita sit comparatus, ut errorem evitare potuerit, maturæ ætatis, sensibus præditus, sanus, mentis compos, rei de qua agitur fuerit præsens, eam viderit, animo tranquillo examinaverit, ejusque fuerit peritus, animus vacaverit affectibus & præjudiciis.

§. 618. Requiritur 2°. bona fides in teste, quam

quam colligimus ex moribus, pietate, dignitate, natione, secta, senio, utilitate vel damno in testantem redundante, juramento oblato, tum si plura testimonia diversorum hominum concurrant.

§. *619*. Ad testimonia proba concurrunt publica monumenta, archivia, inscriptiones, nummi, gemmæ, census.

§. *620*. Sunt enumeratæ argumentationes a Capite V. ad Caput IX. eæ quæ sunt in usum receptæ & probatæ: series Syllogismorum concatenatorum appellatur *Probatio*: dicuntur Syllogismi concatenati, quando conclusiones præcedentium evadunt præmissæ Syllogismorum sequentium.

§. *621*. Si eousque producantur Syllogismi, donec in definitionibus, experientiis, observationibus, axiomatibus terminentur, tum datur vera demonstratio: estque hoc omne quod a ratiocinio exspectari potest: si vero Syllogismi eousque perducti non fuerunt, demonstratio legitima nondum data fuit. Si demonstratio ex rei definitione, ejus corollariis, vel inde fluentibus axiomatibus fuerit desumpta, quæ sunt rei primum, quod concipitur, tum dicitur *Demonstratio a priori*. Sed si demonstratio petatur ex experientia vel effectu, dicitur *Demonstratio a posteriori*; uti si quis ex idea Dei demonstret Dei existentiam, a priori erit ejus demonstratio: Si vero ex creati mundi consideratione de-

monstret necessario existere Deum, erit demonstratio a posteriori.

§. 622. Ratiocinia formantibus licet ex præmissis nonnullis sequelas elicere immediatas, veluti a genere ad speciem inferiorem, vel a specie superiori ad inferiorem: ab eo quod actu existit ad posse esse: ab eo quod universaliter esse nequit, negando existentiam singularem: a veritate oppositi ad alterum falsum: vel a falsitate oppositi ad alterum verum, tumque *demonstrationes* dantur *Indirectæ*.

CAPUT NONUM.

De Regulis Compendiosis.

§. 623. QUia omnes Regulæ, quas in Syllogismis quatuor figurarum, & reliquis exposuimus, non facile memoriæ mandari possunt, semperque animo sisti præsentes; quæsiverunt Logici regulas universales paucas, clarasque, secundum quas examinari possent Syllogismi, eorumque vitium vel valor illico cognosci.

§. 624. Quæstio sive propositio examinanda est conclusio argumenti: hæc bona & vera est quando subjectum habet necessarium nexum cum prædicato; id tamen per se non liquet,

quet, & ideo argumentatio est instituenda.

§. 625. Primum supponendum est, ambos terminos, qui constituunt subjectum & prædicatum, esse probe intellectos; proinde sensum quæstionis cognosci.

z. 626. In Syllogismo quæsitus fuit terminus medius, qui ostenderet necessarium nexum inter subjectum & prædicatum.

§. 627. Regula generalis sequens est Cl. Breitingeri. Quotiescunque in formato Syllogismo subjectum conclusionis necessario nexu cohæret cum termino medio, & hunc in se concludit; & terminus medius in se complectitur prædicatum, Syllogismus semper erit bonus.

Nam Syllogismus modo formatur, ut necessarius nexus inter subjectum & prædicatum quæstionis probetur: Si igitur subjectum necessario nexu cohærescat cum Medio, idque in se complectatur, & medium necessario nexu cohærescat cum prædicato, idque in se concludat, subjectum non potest non cohærere cum prædicato. Dixero, *Diligentes studiosi evadunt docti*: & Syllogismus hoc modo sit formatus.

Quicunque multos legunt, & examinant libros, evadunt docti,
Diligentes studiosi multos legunt, & examinant libros.
Ergo diligentes studiosi evadunt docti.

Subjectum hic est *Diligentes studiosi*: hoc ve-

ro cohærescit necessario nexu cum medio, quod hic est *multos legere, & examinare libros*, sed hoc medium cohærescit cum prædicato, *evadunt docti*, unde concludendum est Syllogismum esse bonum.

§. 628. Syllogismi, quorum negativa est conclusio, eodem modo examinantur; modo rite concipiamus *negare* idem esse ac affirmare aliquod prædicatum non convenire subjecto, nec cum ipso esse unitum: ideo propositio negativa æquivalet affirmativo, & ab ea tantum differt expressione.

Quicumque caret virtute, inter probos non est numerandus.
Latrones carent virtute.
Ergo Latrones inter probos numerandi non sunt.

Subjectum hic est *Latrones*, id necessario cohæret cum *carere virtute*, quod est medium, hoc vero cohæret cum prædicato, *inter probos non esse numerandum*. Valet igitur Syllogismus.

§. 529. Autores artis cogitandi aliud criterium bonorum Syllogismorum tradiderunt; criterium vero hoc spectat modo formam Syllogismorum, non materiam; quamvis enim Syllogismi sint in forma, possunt continere propositiones erroneas.

Conclusio est quæstio probanda; ad probationem investigamus propositionem universaliorem & magis cognitam, quæ quæstionem in se com-

comprehendat: hæc propoſitio appellatur *Continens*. Deinde inveſtigamus aliam propoſitionem, quæ inventam applicet quæſtioni, & appellatur *Applicans*. Si jam continens complectatur quæſtionem, & applicans applicaverit continentem quæſtionis, erit Syllogiſmus ſemper bonus. Si autem quæſtio fuerit univerſalior, & non contineatur in propoſitione continente, nunquam valebit argumentatio; tum enim terminus medius non ſumtus erit univerſaliter, ſaltem ſemel.

Omnia animalia multis documentis oſtendunt ſe non eſſe mera corpora.
Omnia inſecta ſunt animalia.
Ergo omnia inſecta multis documentis oſtendunt ſe non eſſe mera corpora.

Propoſitio major eſt *Propoſitio Continens*; Omnia animalia oſtendunt multis documentis ſe non eſſe mera corpora: nam continet in ſe totam concluſionem, Omnia inſecta oſtendunt multis documentis ſe non eſſe mera corpora.

Propoſitio Applicans eſt minor, quæ oſtendit *Inſecta eſſe animalia*, ſive applicat Continentem quæſtioni, in qua erant *Inſecta*.

§. 630. Vitioſos Syllogimos ope regulæ hujus cognoſci & improbari patet; ſi enim ſequentem Syllogiſmum protuliſſem,

Qui

Qui dicit te esse animal, dicit verum.
Qui dicit te esse anserem, dicit te esse animal.
Ergo qui dicit te esse anserem, dicit verum.

Hic propositio major, *qui dicit te esse animal dicit verum*, non est propositio quæ in se contineat conclusionem, nam indicat tantum: *qui dicit te esse aliquod animal, dicit verum*. Iam illud aliquod animal non continet in se Anserem, cum possit continere innumera alia: adeoque deficit propositio continens. Sed minor non est propositio continens, proinde non valebit Syllogismus.

§. 631. Quod Syllogismos negativos attinet, quia in illis una tantum datur propositio negativa, & negatio in negatione includitur, erit propositio negativa, dicenda *Continens*, & affirmativa erit *Applicans*: non refert, sive major, sive minor fuerit negativa.

Quicumque Deum odit, non est beatus,
Omnis impius Deum odit.
Ergo nullus impius est beatus.

Propositio continens hic est, *Quicumque Deum odit, non est beatus*. Nam omnis osor Dei concludit in in se impium; Applicans propositio est, *Omnis impius Deum odit*.

† . † . † .

Omnes veri Philosophi veritatem amant.
Nulli partium studio addicti veritatem amant.
Ergo

Ergo nulli partium studio addicti sunt veri Philosophi.

Propositio continens in hoc Syllogismo est minor. *Omnes partium studio addicti veritatem non amant*, continetque conclusionem, *Omnes partium studio addicti non sunt veri Philosophi*. Applicans in hoc casu est major.

CAPUT DECIMUM.

De Sophismatibus.

§. 632. S*Ophisma* appellatur ratiocinatio acuta & intricata, quæ veritatis speciem mentiens, ex falso principio plerumque orta, ad fallendum ab adversario profertur: ideo etiam vocatur *Fallacia*, *Syllogismus fallax*, *Captiosus*, *Contentiosus*, *Eristicus*, *Elenchus Sophisticus*, *Paralogismus*. Differt a Syllogismis falsis, quorum conclusio propositionibus manifesto falsis & claris nititur. σόφισμα autem a σοφίζεσθαι, quod notat cavillari, astute ludere: In hujusmodi inveniendis veteres nonnulli se non parum exercuerunt, apud quos celebre erat *Mentiens* dictum apud Ciceronem L. 4. Quæst. Acad. quod jam Aristotelis temporibus cognitum

Si dicis te mentiri, verumque dicis, mentiris.
Dicis autem te mentiri, verumque dicis.
Ergo mentiris.

Si-

Simile est sequens.

Quicumque jurat se falsum jurare, & falsum jurat, vera jurat.
Atqui Cajus jurat se falsum jurare, & falsum jurat,
Ergo vera jurat.

§. 633. Sunt Sophismatum varia genera, quædam referuntur ad ambiguitatem & obscuritatem sermonis; hæc sunt Æquivocationis: alia oriuntur ex fallacia compositionis & divisionis: alia referuntur ad obliquum colligendi modum, & vocantur Sophismata Collectionis, veluti sunt Ignoratio Elenchi, Petitio principii, Circulus vitiosus, Enumeratio imperfecta, Non causa pro causa, Fallacia accidentis, Consequentis, Transitus a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, Transitus a genere in genus &c.

§. 634. *Sophisma Homonymiæ* vel *Amphiboliæ* est, cum vox vel phrasis diversas habere significationes, atque in præmissis non eodem, sed diverso sensu capitur.

§. 635. Manifesto constant hujusmodi Syllogismi quatuor terminis, proinde non valent: hos quatuor videre nequit, qui Linguam, in qua disputatio habetur, non probe callet: Sunt interdum amphiboliæ crassæ, aliquando tantum in Syllabarum diversa quantitate, aliquando in discrimine unius alteriusve litteræ consistunt, quæ facile deteguntur: sunt aliæ subtiliores, quæ fa-

ſagacioribus in principio imponunt. Craſſæ ſunt hujuſmodi amphiboliæ.

Aries lente in Zodiaco promovetur.
Sed animal graminivorum eſt aries.
Ergo animal graminivorum lente in Zodiaco promovetur.

Subtiliori utebantur Romani adverſus Regem Syriæ Antiochum.

Qui dimidium navium ſe daturum promiſit, ejus naves ſunt diſſecandæ.
Atqui Rex Antiochus ſe dimidium navium daturum promiſit.
Ergo ejus naves ſunt diſſecandæ.

En aliud.

† † †

Ens quod in ſe omnia comprehendit, eſt Deus.
Sed mundus eſt Ens quod in ſe omnia comprehendit.
Ergo mundus eſt Deus.

Fallacia in voce *comprehendere* latet: Nam alio modo Deus omnia creata in ſe comprehendit, alio modo mundus: proprie enim mundus nihil in ſe comprehendit, quia eſt tantum collectio omnium rerum creatarum, quæ unquam exſtiterunt, exſtant, aut exſtabunt.

§. 636. *Fallacia compoſitionis* eſt, quando male componuntur aliqua, etiamſi ſeparatim ſumta

ſint

ſint vera. *Fallacia diviſionis* dividit quæ erant conjungenda: dicitur hoc quoque *argumentari a ſenſu diviſo ad ſenſum compoſitum*. veluti in compoſitione, *argumentari a ſenſu compoſito ad ſenſum diviſum*.

Fallacia compoſitionis eſt

Titius eſt bonus.
Titius eſt Juriſconſultus.
Ergo Titius eſt bonus Juriſconſultus.

† †

Leges conſtituunt Corpus Juris.
Duæ Leges de Furto & adulterio ſunt leges.
Ergo duæ Leges de Furto & adulterio conſtituunt corpus juris.

† †

Omnis incuria merito vituperatur,
Senatus eſt in Curia,
Ergo Senatus merito vituperatur.

Sequens exemplum eſt pro diviſione.

Cuicumque triginta dierum inducias cum hoſte paciſcenti noctu populari agros licet, quod dierum ſint pactæ, non noctium induciæ.
Atqui mihi cum hoſte pactæ ſunt triginta dierum induciæ.
Ergo noctu mihi agros populari licet.

§. 637. *Ignoratio Elenchi* dicitur, cum aliud quid

quid probatur quam probandum erat, sive cum conclusio videtur contradicere Thesi, quam tamen directe non ferit: veluti dixerim, *Christum fuisse ab æterno filium Dei*, contra quæ assurgat adversarius sequenti argumento.

Qui natus est ex Maria virgine regnante Cæsare Augusto, is non est ab æterno filius Dei.
Sed Christus natus est ex Maria virgine regnante Cæsare Augusto.
Ergo Christus non est ab æterno filius Dei.

Respondeo, committi ignorationem Elenchi; non enim asserebatur Christum, formam humanam induentem tempore Augusti, sic fuisse filium Dei ab æterno, sed quatenus ante mundi originem ab ipso Deo genitus fuit Filius incomprehensibili modo.

§. 638. Frequenter hoc Sophisma committitur a Disputantibus, quorum animi incalescunt, & a scopo aberrantes in alias aliasque labuntur controversias: Etiam Ignoratio Elenchi committitur, quando mala fide adversariis affingimus, quæ nunquam dixerunt; aut sequelas ex eorum sententiis colligimus malignas, quales nunquam animo foverunt. Si quis dixerit ex observationibus de eadem regeneratione corporum in similia constare, dari necessario Individua, quæ ulterius a viribus naturæ non solvuntur in partes: adversarius vero contra hoc dogma sequenti modo insurrexerit.

Si

Si omnis extensio possit concipi divisibilis in Infinitum, ergo & corpus. Atqui &c.

Si corpus concipiatur divisibile in Infinitum, non dabuntur Individua.

Respondendum est hic committi Ignorationem Elenchi: non enim quæstio est, an concipi possint corpora in Infinitum dividi, sed an actu a viribus naturæ vel artis dividantur usque in Infinitum.

§. 639. *Petitio principii* dicitur, quando res ponitur concessa, quæ controversa est; aut cum id supponitur, quod est in quæstione; aut quando probatur ignotum per æque ignotum, aut ignotius; vel incertum per æque incertum, aut incertius.

Hoc Sophisma fuit commissum ab Aristotele, cum probaret Terram esse in centro mundi:

Gravia ex sua natura tendunt ad centrum mundi:

Sed gravia tendunt ad Terræ centrum, uti probat experientia:

Ergo Terræ & Mundi centrum est unum idemque.

Sed hic supponitur Terræ & Mundi esse idem centrum, cum statuitur gravia ex sua natura tendere ad mundi centrum: pari pacto committitur petitio principii in sequenti argumento.

Quicquid in æternum post hanc vitam durabit, est immortale,

Sed

Sed anima humana in æternum post hanc vitam durabit,
Ergo anima humana est immortalis.

Supponitur hic mens duratura post hanc vitam in æternum, hoc est immortalis, ut probetur ejus immortalitas.

§. *640.* Non multum a petitione principii differt *Circulus vitiosus*, qui est ejusmodi argumentatio, in qua, id quod probandum est, petitur ex alio, quod probandum erat, cumque hoc alterum probabitur, probatio petitur ex priori. Talem circulum illi committunt, qui probaturi materiam subtilem Cartesii universum implentem dari, demonstrationem petunt ab eo, quod non datur vacuum: & probaturi non dari vacuum, confugiunt ad materiam subtilem, seu interlabentem inter corporum poros.

§.*641.*Confundendus tamen cum hoc circulo non est *Regressus demonstrativus*, in quo ex effectu colligimus causam, & ex causa colligimus effectum; tum enim nihil supponitur, sed ex veris datis ratiocinamur legitimo ordine & modo: veluti si quis ex adscensu aquæ in antliam suctoriam ad altitudinem perpendicularem 32 pedum colligat gravitatem Atmosphæræ aëreæ: atque deinde in alio casu ex gravitate Atmosphæræ colligat, adscendere debere aquam in antliam suctoriam ad altitudinem 32 pedum.

§. *642.* *Imperfecta enumeratio partium* est,

quotiescunque genus dividitur in species, omnes vero non enumerentur, sed quædam omittantur: aut cum totum dividitur in partes, aliquibus omissis: In hoc vitium labuntur homines frequentissime, partim ignorantia, partim præcipitantia.

§. 643. *Non causa pro causa.* Committitur hoc Sophisma quando quædam causa ponitur alicujus effectus, quæ ejus vera causa non est. Nullum vitium frequentius hoc ab hominibus committitur, unusquisque enim causam cujuscunque obvii effectus tradere gestit, ne aliquid ignorare videatur: Ita Peripatetici videntes aquam ex puteo in antliam elevato embolo adscendere, adseruerunt id fieri *metu vacui*. Quo tempore fulsit Cometa in aliquo regno, sævijt pestis. Ergo Cometa positus fuit causa pestis. Nova stella apparet in cælo, ergo novus nascetur & magnus princeps. Corvi crocitant, ergo instat tempestas. &c.

§. 644. *Fallacia Accidentis* est, cum ex aliqua re, quæ per accidens est vera, absoluta colligitur conclusio, ac si semper ita comparata foret. Veluti, quia magistratus nonnunquam oppressit optimos & innocuos cives, aliquis concludit, Ergo omnis Magistratus est rejiciendus. Vel quia Ratiocinando homines lapsi sunt in errorem, aliquis colligat, nunquam ratiocinio confidi posse. Vel quia Vinum inebriat, hominesque reddit non compotes mentis, ergo sem-

per

per abſtinendum eſſe a vino concludit.

§. 645. *Fallacia Conſequentis* dicitur, in qua decipimur ſpecie reciprocationis, & oppoſitionis: uti *Mala opera damnant: Ergo bona opera juſtificant: Gentiles ex neglectu luminis naturæ evenerunt inexcuſabiles: Ergo obedientia Legis naturalis eveniſſent excuſabiles, fuiſſentque ſalvati.*

§. 646. *Fallacia a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter*: Sive cum aliquid tantum certo reſpectu, loco, tempore, verum eſt, idque univerſaliter adſeritur nullo habito reſpectu loci, temporis, circumſtantiarum, verum eſſe, & eodem modo obtinere. *Sunt fabulæ in hiſtoria Romana Livii & aliorum: Ergo nulla fides Romanis auctoribus debetur. Homo moritur, ſed homo conſtat ex mente & corpore: Ergo mens & corpus moriuntur*. vel *Quodcunque eſt abrogatum non valet amplius: Vetus teſtamentum eſt abrogatum: Ergo Vetus teſtamentum non valet amplius:* Quod ratiocinium in eo peccat, quod vetus teſtamentum tantum ſit abrogatum quoad nonnullos ritus, ſpectantes ſacrificia, cæremonias, ciborum abſtinentias &c. non vero quoad Leges, & uſum, ad veritatem Chriſtianæ religionis inde probandam.

§. 647. *Sophiſma plurium interrogationum eſt*, quando plures quæſtiones ita proponuntur, ut unius præ ſe ferant ſpeciem, adeoque ſimplicem reſponſionem reſpuunt: aut quando de uno ſubjecto plura interrogantur. Veluti *An Cyrus,*

Alexander Magnus, *Hannibal*, *Julius Cæsar fuerunt fortes & boni duces?* Si quis simpliciter annuat, errat: duo enim interrogantur, adeoque duo responsa sunt danda, *Fortes fuerunt quidem omnes*, sed *Cyrus*, *& Julius Cæsar modo fuerunt boni*. Ita judex quærat ex captivo, *An solus hominem occiderit?* Si captivus simpliciter negaverit, fatetur se socios criminis habuisse; ideo duo responsa dare tenetur, *nec occidi hominem*, *nec socii mihi adfuerunt*. Haruspex quondam haruspicem rogabat, *An verberare desiisti patrem?* alter bene respondit, *nec verberavi, nec desii*.

CAPUT UNDECIMUM.

De Methodo Disputandi.

§. 648. Omnia hucusque tradidimus ad rite & ordine habendas disputationes, sive personam Opponentis, vel Defendentis sustinere voluerimus: Disputationes sunt impugnationes & defensiones Thesium: Optimo autem consilio disputationes habentur ad exercendum, acuendum, & dirigendum ordine ingenium, ad juvenes incitandos ad diligentiam & æmulationem, ad veritatem investigandam, ad difficultates in Thesi latentes eruendas, ut dum hæ removentur, scientia promoveatur, ipsa-

ipſaque veritas clariori in luce ponatur, aut præjudicatæ opiniones, & receptæ hypotheſes non amplius inter demonſtratas veritates, ſed inter ſententias tantum veroſimiles numerentur: ideo oportet ut diſputantes animo ſint præjudiciis auctoritatis vacuo: iis enim qui laborat, aut tantum nititur, veritatem videbit & amplectetur nunquam, ſed defendet quæ manifeſto falſa ſunt.

§. *649.* Oportet ut Scopus diſputationis ſit inveſtigatio & defenſio veritatis alicujus momenti, quæ in Theſi proponitur: ad actum concurrunt Defendens & Opponens, nonnunquam quoque Præſes, qui defendenti auxiliatur, controverſiam illuſtrat, vel dirimit. Scopus Defendentis præterea eſt, ut ſpecimen ſuæ peritiæ in arte oſtendat, ſeſeque non tantum memoriæ mandaſſe quæ legerit, aut tradi a doctoribus audiverit, ſed ſe res ipſas intellexiſſe & examinaſſe, adeo ut eas ab obmotis difficultatibus liberare poſſit, vel illuſtrare explicationibus & exemplis, quibus objectiones diluantur & cadant, ac ſimul valor & probitas Theſeos in aprico ponatur. Hinc Theſis nulla eſt ponenda, niſi bene intellecta & examinata diu, cujus difficultates ab omni parte fuerunt perſpectæ & ſolutæ in animo defendentis, quantum fieri potuit ab ipſo. Ex perſpectis difficultatibus colliget facile, ſi prudentia & perſpicientia ſit præditus, alias & nondum prævıſas poſſe latere, ex di-

versis petendas fontibus, & quæ in mentem non venerunt: quæ facient, ut nimiam causæ confidentiam defendens sit positurus, & argumenta adversariorum majoris momenti habiturus, majorique diligentia & attentione perpensurus: Nemo igitur potest sustinere vices defendentis, nisi scientiæ, e qua Thesis est depromta, operam aliquam navaverit, fundamenta ejus probe didicerit, axiomata bene calleat; quo quis plura axiomata & propositiones universales didicerit, eo melius; cum iis objectiones niti soleant, vel ex iisdem peti solutiones.

§. 650. Scopus opponentis esse debet, ostendere veritatem non stare a parte Defendentis, sese in examine propositæ Theseos offendisse errores, inadvertentiam, difficultates, imbecillitates; esse tantum hypothesin, proinde Thesin esse vel rejiciendam, vel mutandam.

§. 651. Quoniam igitur in disputationibus tantum agendum de veritate alicujus rei defendenda, aut impugnanda, oportet ut exsulent odia: his enim inter partes vigentibus nunquam quæritur, sed ex obtutu amittitur veritas, ad convicia itur, alter alterius famam prostituere molitur: ideo præstat nunquam disputare cum eo quem odimus: Exsulent etiam convicia & Scurriles invectivæ, insultationes, interpellationes crebræ, clamores, risus: quibus alter alterum ludibrio exponere studet, non serio de re ipsa agere; Omnia enim hæc ostendunt animum in-

com-

compositum, inhumanitatem, arrogantiam, ferociam, nec animum litteris fuisse politum; Absint quoque fraudes, quæ latent in malis Syllogismis, sive qui non sunt in forma; absint Stratagemata, Sophismata, accusationes Sophismatum, quæ tamen non ostenduntur; absit contradicendi pruritus, confutandi libido, repetitiones inanes, pertinacia, damnandi æstus, sive argumenta ab invidia ducta, quibus Thesin Atheismi insimulemus, aut ducentem ad perturbationem Reipublicæ, Academiæ, vel Ecclesiæ: Hujusmodi enim argumentationibus ostentatio fit acuminis ingenii, vana captatio laudis, & instituitur modo ad obterendum adversarium, non ad veritatem ipsam quærendam vel illustrandam. Absit etiam vana gloriæ ambitio, & ingenii ostentatio.

§. 652. Oportet ut Theses propositæ non sint quædam axiomata, adversus quæ opponi nihil posset: hæc enim non sunt controversa: oportet etiam ut non sint propositiones vanæ aut frivolæ, veluti *Mulieres non sunt homines*. *Datur asinus asino doctior*. *Simiæ Asiaticæ sunt melius vestitæ Africanis*. *Pediculus est animal gloriosius pulice*. &c. hujusmodi theses sunt ridiculæ & inanes. Neque etiam sunt ponendæ steriles: neque profanæ, aut impiæ; nec quæ ad Ecclesiam aut Rempublicam perturbandam viam sternerent, probisve moribus sunt contrariæ; quæ tantum malitiam defendentis indicant: Ve-

rum eligendæ sunt Theses controversæ, probabiles, jucundæ, utiles, ut opponenti concedatur opportunitas plurimas difficultates inveniendi & objiciendi, tum ut nova argumenta in re probabili inveniantur & examinentur.

§. 653. In disputationibus nostris hi ritus solent observari. Defendens implorat Præsidis auxilium, si in defensione Theseos hæsitaret, erraret, aut opponentium argumenta refellere bene non posset; invitat deinde Opponentes, ut Theses propositas oppugnent, difficultates proponant, quibus respondere pro suis viribus pollicetur. Tum Opponens, implorata a Præside venia, ut & a Defendente, cui propter benevolam invitationem gratias agit, ad oppugnandas Theses se accingit. Finita disputatione hic iterum gratias agit Præsidi pro concessa venia, tum Defendenti pro solutionibus argumentorum suorum, quæ opposuerat. Pari pacto Defendens, finita disputatione, Præsidi pro auxilio & præsidio gratias agit, tumque Opponentibus pro honore, quo mactatus fuerit ab ipsis in obmovendis difficultatibus, exercendo ingenio, & exploranda disputandi peritia. Tandem omnibus Auditoribus pro benevolis auribus in audiendis objectionibus & responsionibus præstitis. Sunt alii nonnulli ritus in aliis solemnibus disputationibus observandi, qui variis in locis differunt.

§. 654. Primum dicamus quid Opponentis sit: Hic simulac Thesin videat vel novam, vel in-

audi-

auditam, quæ prima fronte falsa, absona, vel ridicula apparet, atque ideo eam oppugnare decernat; primum accurate indicet Thesin, quam impugnabit: quæ si verbis obscuris, vel ambiguis constiterit, oportebit ut opponens roget defendentem, quid per singula verba, phrases, sententiasve significare voluerit: Si Thesin satis clare intellexerit, nec verbis quid ambigui insit, moneat se Theseos vitium, falsitatem, vel oppositum, aut limites demonstraturum; adeoque claris verbis prius indicet *Statum Quæstionis.* Nisi hic prius positus fuerit, disputantes a scopo aberrant, dilapsi continuo ad alias quæstiones & Logomachias.

§. 655. Si autem Defendens propter imperitiam voces ab ambiguitate liberare nequeat, id faciat Opponens: si Defendens propter alias rationes mentem suam clarius explicare noluerit, Opponens eliciat arte explicationem, accusando Theseos obscuritatem, vel eam constare vocibus sine mente: hac arte Defendens incitabitur ad Thesin variis pluribusque vocibus exponendam, ex quibus sensus erui poterit. Sensu intellecto sæpe evenit, ut Thesis non deprehendatur adeo absurda, sed se magna veritatis specie incipiat commendare, tumque objectiones alio dirigendæ sunt modo, ut quicquid ulterius obvelatum in quæstione restabat, denudetur, expediaturque: ideo non statim id absurdum est habendum, quod prima fronte ita compareat.

§. 656.

§. 656. Statu Quæstionis indicato, Opponens potest incipere oppositiones a propositionibus simplicissimis, verum quæstionem spectantibus, & pergere ad alias cum prioribus bene cohærentes, vel ex iis fluentes, donec tandem perveniat ad ipsam Thesin: cumque eam non niti probatis præmissis ostendat, Thesin optime labefactavit.

§. 657. Potest quoque Opponens directe aggredi Thesin valido & stringenti Syllogismo, qui præcipue vel in prima figura sit, utpote maxime naturali, vel sit Hypotheticus, etiamsi liceat aliarum figurarum Syllogismis, aut & compositis uti.

§. 658. Verum cavendum, ne Opponens incipiat ab inanibus & inutilibus ambagibus, quæ ad rem ipsam nihil faciunt; hæ enim indicant Opponentis socordiam, imperitiam, iisque tempus inutiliter teritur, nec exercetur ingenium: male quoque Opponens prius it in laudem Defendentis, subtilitatem Thesium deprædicat, veniam implorat, ne in malam capiatur partem, si quid rude & inconditum a se proferatur; hujusmodi enim longis præfationibus scopus Disputationis non impletur, eripiturque tempus.

§. 659. Oportet ut argumenta omnia, quæ Opponens proferat, sint brevia, ut facile a Defendente repeti possint: quod si enim longa formentur, quæ vix in pagina hujus folii capian-

piantur, quomodo hæc Defendens repetere poterit? Longa argumenta ſemper notant imperitiam, vel vafritiem Opponentis; nam ingenioſus & peritus ſemper paucis verbis rem exprimere novit: prolixitas ad confundendum Defendentem adhibetur, idque laudi nunquam cedit.

§. 660. In publicis diſputationibus Opponentes non ſolent ex tempore diſputare, licet in anteceſſum ſe præparare & in muſæo meditari: ideo non malo conſilio Opponens ſcribet ſuas objectiones, quia animus in publicum prodientis ſolet aliquantum commoveri, & perturbari a gravitate Virorum honoratorum, qui præſentes ſunt; confidentior eſt, quando ſe ſcriptis mandaſſe novit, quæ hæſitans inſpicere poteſt: imo ſic meliori ordine argumenta diſponet: præterea perpendere in anteceſſum & vim argumenti poterit, tum an ſit in forma, tum quænam propoſitio negari poterit: convenit proſpexiſſe utrique propoſitioni Syllogiſmi, tam majori, quam minori, cum Defendens utramque aliquando negat, aut eam quam opinati fuimus non negatum iri; tum Opponenti hæret aqua; tam celeriter novum, quo negatum probet, Syllogiſmum, invenire nequit, ipſe confunditur, & finire oppoſitiones tenetur: Si autem poſt unam refutationem deſinat Opponens, aut imbecillitatem ſui argumenti, aut imperitiam in negata propugnanda, palam oſtendit.

§. 661.

§.661. Nunc oportebit ut Defendens sive Respondens argumentum Opponentis *repetat*, sive ut alii loquuntur *assumat*; & quidem iisdem verbis ac usus est Opponens, ut ostendat se Opponentem intellexisse, tum ut tempore & opportunitate fruatur argumenti omnes propositiones examinandi, tum admittendi quicquid boni verique iis insit, tum improbandi quod pravum vel erroneum inerat: verba autem eadem, quæ Syllogismum efficiunt, sunt repetenda, iis enim mutatis, vis argumenti aut sensus immutatur; Syllogismus ideo brevis esse debet, ut facile repeti totus possit.

§.663. Ante omnia Defendens examinet, an argumentum sit in forma, antequam ad materiam attendat: hæret hic disputantibus sæpe aqua, & ideo ut regulæ ratiocinandi probe cognoscantur necesse est: si error sit in forma hoc ostendatur, tum cadit totum argumentum Opponentis.

§.663. Quando nihil vitii in forma Syllogismi latet, nec hic Sophisma fuerit, plerumque in alterutra præmissarum, vel in utraque, hærebit aliquid ambiguum, obscurum, vel erroneum: Si ejusmodi quid in alterutra præmissarum fuerit, negetur hæc, adeoque negatur major, vel minor. Si utraque præmissa fuerit erronea, negatur totum argumentum. Nonnunquam evenit, ut in argumento Opponentis major vel minor propositio sit distinguenda, quia universalius sumta fuit, quam idem terminus in Thesi capiebatur,

aut

aut alio ſenſu: quamobrem tum Defendens aliquam præmiſſarum diſtinguit, conceſſa veritate pro aliquo caſu, negata pro caſu præſenti. Præcipue vero attendat Defendens ad propoſitionem majorem, quæ cum univerſalis eſſe ſoleat, ſæpe fallit, atque exceptionibus ſubjicitur, quæ univerſalitatem ejus infringunt: quas ſi non prævi-derit evitaveritque Opponens, una negatione argumenti ad ſilentium ſæpe reducitur.

§. *664*. Si Opponens rogaverit rationem negatæ majoris, minorisve, Defendens eam dare non tenetur, ſufficit ipſi quod negaverit; Opponenti enim incumbit ſui aſſerti probatio: Si tamen Defendens confidat cauſa, & rationes optimas negandi habet, poterit rationem addere, ſed ita aliquando evenit, ut diſputantes divagentur a ſcopo, præcipue ſi Opponens fuerit cavillator, quo in caſu ſimplex negatio ſufficit.

§. *665*. Si termini ambigui, aut obſcuri, aut inauditi, & incogniti in argumento occurrerint, vel in alio, quam communi, ſenſu capiantur, aut capi credantur, licebit Defendenti, antequam aliquid approbet vel neget, rogare explicationem eorum verborum: explicatione data & ſenſu intellecto, Defendens repetat argumentum, qui cum majorem approbaverit, *concedo*, inquit, *majorem*, vel *tranſeat major*. Si majorem repetens in ea errorem invenerit, *quod non ſit univerſalis*, qualis proponitur, hanc jure negabit. Deinde minorem repetit, quam negat, cum erroneam

ani-

animadvertit: sæpe autem concedenda quoque est minor, verum ita ut distinguenda sit, adeo ut sumta sub tali sensu concedatur, sub alio sensu negetur: poterit Defendens, terminos distinguens, nonnunquam addere rationem, & explicationem brevem, sed nervosam; ne alia & nova oboriatur quæstio, & aberratio a scopo; quæ tutius evitatur nulla explicatione addita.

§.*666*. Jam Opponens negatam propositionem sui Syllogismi nitatur probare alio argumento secundum formam regularum, imo semper Syllogistice pergat opponere, nisi aliquid prolixiori sermone tractandum, vel explicandum sit, veluti cum historia, aut testimonium est allegandum, vel observationes, & experimenta Physica memoranda sunt. Si autem Opponens non perrexerit Syllogistice, jure urget Defendens, ut negatam adversarius probet Syllogismo.

§. *667*. Si Opponens denuo Syllogismum protulerit, a Defendente iterum repetendum est argumentum, & examinandum uti primum, cum quoad formam, tum quoad materiam; & negandum vel concedendum, prout res ipsa neganda vel concedenda est: Hoc modo eousque pergendum, donec Opponens Thesin debellaverit: vel Defendens argumenta Opponentis infregerit, omnesque objectiones diluerit, solveritve.

§.*668*. Semper sollicite cavendum a disputantibus, ne a scopo divagentur; quod dum molitur Opponens, id moneat Defendens; & si pertina-

citer

citer sic pergere nitatur adversarius, licebit Defendenti asserere, se nec negaturum majorem minoremve, nec concessurum aliquid, quoniam oppositio Thesin non ferit, & ad aberrationem a Thesi modo tendit.

§.669. Quamvis Defendens, negando propositionem, argumento Opponentis satisfaciat, cum Opponenti incumbat probatio, nihilominus illi qui in arte est versatus, & quæstionem probe examinavit, addere licet rationem negationis; quo modo sæpe brevissime tota disputatio finitur. Nonnunquam indirectis responsionibus, vel intorquendo argumentum, fortissime adversarium repellimus, cum termino medio non conveniente usus est, vel qui suo asserto obest, quo modo Defendens ingenii acumen & peritiam suam ostendit, & victor ex arena discedit.

§.670. Si Defendenti succurrat Præses, oportebit ut opponens magna cum modestia suas difficultates promoveat & tueatur, arrogantis enim æque ac impudentis est cum Viris reverendis & ætate provectis velle pertinaciter & immodeste disputare, suasque opiniones obtrudere, plerumque ex præjudiciis, vel non probe examinatis hypothesibus oriundas; arrogantia Opponentis inscitiam, animum male compositum, nec bene educatum semper indicat.

FINIS.

INDEX CAPITUM.